

PLATONIS
OPERA OMNIA.

RECENSUIT ET COMMENTARIIS INSTRUXIT

GODOFREDUS STALLBAUM.



VOL. IX. SECT. I.

CONTINENS

POLITICUM ET MINOEM.

G O T H A E
SUMPTIBUS FRIDERICAE HENNINGS.
MDCCCXLI.

Londini apud Black et Armstrong.

PLATONIS *LV 67*
P O L I T I C U S

ET

INCERTI AUCTORIS

M I N O S.

RECENSUIT,

PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS

ILLUSTRAVIT

GODOFREDUS STALLBAUM.



G O T H A E
SUMPTIBUS FRIDERICAE HENNINGS.
MDCCCXLI.

Londini apud Black et Armstrong.

113

PROLEGOMENA
AD
POLITICUM PLATONIS.

ERFORDIAE
TYPIS HENNINGS & HOPE.
1841.

Plat. Opp. Vol. IX. Sect. I.

1

PROLEGOMENA

* AD

POLITICUM.

De Politico Platonis, hoc est eo libro, qui nondum a quoquam ita illustratus est, ut vel mediocriter satisfactum desiderijs hominum doctorum videri debeat, licebit hic exponere uberius et copiosius, quam id de aliis Platonis operibus facere soliti sumus. Qua in re sic verfabimur, ut quae nuper in Diatribe de Politico Platonis Lipsiae, 1840. 8. seorsum edita commentati sumus, ea partim plenius exposita, partim etiam in brevius contracta iteremus, pauca quaedam etiam emendemus, quae fortasse paullo inconsideratius fuerint proposita. Tenebimus autem hunc in disputatione nostra ordinem. Primum exponemus universi dialogi summam, quo facilius intelligatur, quidnam illud sit, de quo deinceps explicari oporteat. Deinde exquiremus tempora, quibus librum scriptum esse verisimile sit. Tum docebimus, eius argumentum atque rationem in illa tempora optime congruere, adeoque copulationem ipsius cum Theaeteto, Sophista et Parmenide exinde posse declarari. Quibus expositis accedemus ad illustrandam disserendi methodum in eo regnantem, et quanam sint eius caussae et rationes exponere studebimus. Tum tres operis partes principales argumenti habita ratione singulas deinceps examinabimus, quaeremusque quidnam illud sit, quod de rebus civilibus atque viro scientia ci-

vili praedito doceatur. Denique de universi operis arte singularumque partium convenientia diceamus additis etiam admonitionibus quibusdam de iis Platonis scriptis, quae cum Politico ita cohaerere videantur, ut eorum tanquam semina in illo inclusa esse iudicanda sint. Quibus omnibus expositis futurum erit, opinor, ut de totius operis praestantia atque pretio rectius quam vulgo existimetur. Itaque primum argumentum Dialogi exponemus. Quod quidem hoc est.

Colloquentes inducuntur Socrates, Theodorus Cyrenaicus, hospes Eleaticus et Socrates adolescens. Hi omnes iam in Theaeteto et Sophista partes disserendi habuerunt praeter unum Socratem adolescentem, quam hic pristinis sermonibus item interfuit. y. Theaet. p. 147. C. et Sophist. p. 218. B. Sed idem ille nunc in locum Theaeteti ita succedit, ut condiscipuli, disputandi labore defatigati, partes suscipiat. Enimvero Theaetetus sicuti cum Socrate insignem quandam vultus et ingenii similitudinem habere videbatur, ita iuvenis Socrates, pariter ingeniosus, eundem attingebat cognatione nominis. Quamobrem sapiens ille Socrates ipse suadet, ut hospes Eleaticus iam hunc disputandi socium assumat. Ipse vero rursus per totum fere sermonem tacitus auditor assidet neque se sermoni immiscet nisi singulari aliqua dicendi opportunitate oblata.

Initio colloquii Socrates Theodoro multas agit gratias, quod ipsi occasionem cognoscendi Theaeteti atque Hospitis dederit. Tum ille: Triplicem vero gratiam mihi habebis, ubi viri civilis atque philosophi perfecerint imaginem. Cui Socrates perquam urbane: Tene vero, hominem mathematicis studiis deditum, ita peccare potuisse, ut hos plane equiparaveris, quum tamen alter ab altero maximo distet intervallo! Fatetur Theodorus errorem suum, siquidem philosophus utique virum civilem dignitate sua longissime superare existimandus sit. His vero ita dictis, precibus adempt hospitem Eleaticum, ut inchoatum sermonem persequatur et ad exitum perducatur. Quod ille ita ab se factum iri pollicetur, ut post Sophistam iam virum civilem *) indagandum explo-

*) Ita interdum brevitatis causa dicere cum Sancto Augustino licebit virum rerum civilium gnarum et peritum, hominem civili prudentia ornatum. Novimus enim Latinos veteres non ita loquutos esse. At iidem tamen di-

raudumque esse statuat. Aggreditur igitur rem protenus sic, ut eodem dividendi artificio utatur, quo usum ipsum in Sophista esse novimus. P. 257 — 258. C. Disputat autem hunc in modum.

Quicumque reipublicae gerendae peritus videri vult, is scientiam aliquam atque artem teneat prorsus necesse est. Ex quo sequitur, ut varia scientiae artisque genera exploranda sint, quo definiatur plene accurateque, quae nam ars et scientia viro rerum civilium perito attribui debeat. Sunt vero duo summa genera omnis scientiae, quorum alterum versatur in rerum consideratione, quae actionis caret adiumento; alterum continetur in agendo, ut perficiantur ea, quae intellecta atque cognita sunt. Igitur scientiam vel *πρακτικὴν* vel *γνωστικὴν* esse rectissimo iudicio statuemus. Iam vero ea ars ac scientia, qua hominibus sive in civitate sive in domo ac familia sua viventibus imperatur, si summam rei spectes, una est atque eadem: nam rex pariter atque dominus et paterfamilias non manibus aut pedibus, aut alia quapiam corporis parte, sed uno mentis consilio et intelligentia in imperando utuntur. Quamobrem iis *γνωστικῆ* tribuenda erit. Quae quidem dubitari non potest quin etiam viro civili sit propria. Is enim etsi non ipse imperat, tamen quoniam imperantibus consilio suo adest, civilis artis peritus sit prorsus necesse est. Itaque ars civilis pro parte haberi debet *τῆς γνωστικῆς*. P. 258 C. — 259. D. Atque hanc ipsam ob causam iam rursus videndum erit de eius artis divisione, quae in cognoscendo versatur. Est autem illa rursus duplex: nam aut verum diiudicat tantum et agnoscit, estque tota *νοητικῆ*; aut imperat simul et quid singulis haec aut illa in re faciendum sit, indicat, ideoque *ἐπιπρακτικῆ* appellari potest. Posterio-rem partem apparet viro civili attribui oportere. Quamobrem ea ipsa iam bifariam nobis dividenda est. P. 259. D. — 260. C. — Apparet autem eos omnes, qui im-

xerunt similiter scientia civilis, ratio civilis, h. e. rerum civilium. Dandum igitur in his aliquid est brevitati, quae et ipsa est perspicuitatis adiutrix. Volumus ergo virum civilem intelligi eum, qui vel in rebus civilibus tractandis versatur, vel rei publicae administrandae peritiam tenet aut tenere putatur. Graecum *πολιτικός* eo quidem sensu, quo dixit Plato, vix poteris nomine Latino plene accurate exprimere.

perant, aut sua auctoritate ita facere, aut ab aliis mandata imperare, quod postremum a praeconibus aliisquid genus hominibus fieri solet. Igitur *ἐπιτακτική* est vel *ἀντεπιτακτική*, vel ea ars, quae aliorum voluntatem aliis indicat. P. 260. C. — 261. A. — Iam vero propria qui imperant auctoritate, ii imperium aut in animalia exercent, aut rebus inanimatis quid fieri velint praescribunt, veluti fabri lignarii aliique opifices. Regia autem scientia quoniam inter animalia potestatem suam exerceat, rursus videndum erit, quomodo *ἡ ἀντεπιτακτική*, quae ad animalia pertinet, dispertienda sit. P. 261. A. — D. — Discerni igitur possunt duo animalium genera, bruta atque homines. Hanc tamen divisionem reprehendit hospes Eleaticus. Quippe censet ille, isto quidem modo unam aliquam partem a toto divelli, non generis formam commemorari. Etenim ubi formae generis enumerentur, ibi versandum esse sic, ut nihil omitatur, quod inter summum genus atque eius formam aliquam in medio situm sit. Differre enim partem a forma ac specie generis sic, ut quaelibet species quum pro parte totius habenda sit, tamen non item quaelibet pars alicuius rei species atque forma generis esse putari debeat *). Quodsi igitur aliquis animalia dividat in bestias et homines, eum non minus peccare, quam si homines omnes in Graecos et barbaros dispertiatur; licere enim similiter universum genus humanum in barbaros et Phryges vel Lydos dispescere, aut animalia omnia dividere in grues et reliqua. P. 261. D. — 263. E. — Caveamus igitur, inquit, ne, quo citius ad artem civilem perveniamus, divisionem nostram praecipitemus. Age vero, rursus ab initio conemur communem animalium pastionem distribuere. Sunt igitur animalia, quae communiter pascuntur, vel aquatilia, veluti pisces, qui in Nilo et lacubus regis mansueverunt, vel terrestria, ut anseres et grues Thessalici. Itaque communis pastionis scientia tanquam partes sibi subiectas habet τὸ ὑποτροφιστὸν et τὸ ξυτροφιστὸν. Iam vero regium munus pertinere manifestum est ad pastionem animalium in sicco viventium. Hanc igitur rursus dividamus in pastionem volatiliam et pedestriam animalium, Posterio-

*) De hoc ipso artis dialecticae loco subtilius in Philebo explicatur p. 17. A sqq.

quam ars civilis attineat, oportet bifariam divisam poni. At vero ad quam partem nostra tendit oratio, eam vero aut breviora via et quasi compendiarie licet distribuere, aut disperti sic, ut omnes ac singulas formas ac species in medio sitas accuratius investigemus ac diligentius persequamur. Age igitur, utramque viam ordinae deinceps experiamur. Et primum quidem tentemus longiorem; tum brevioram videamus. P. 263. E. — 265. B. — Pedestria igitur animalia, quotquot gregalia et cicura habentur, aut cornua habent nulla aut cornigera sunt. Ac regem quidem nostrum apparet gregem pascere cornibus mutilum et earentem. Haec ipsa vero animalia aut promiscuum habent ortum aut proprium atque suum. Posteriori generi quum rex et vir civili prudentia ornatus prospiciat, iam rursus illud bifariam est discriminandum. Dividi autem rectissime poterit in quadrupes atque bipes. Ex quibus quum posterius regi ac viro civili subiectum sit, si idem bifariam dispescatur, profecto plane ridiculum quiddam eveniet, siquidem generi humano iam apparet iunctum et consociatum fore genus avium, quod est omnium velocissimum et expeditissimum, quum tamen postremo in hac nostra divisione in medium prodierit, et bellissimos scilicet ac generosissimos regem hominum socios atque comites esse habiturum. At nimirum hic illud est recordandum, de quo in quaestione de Sophista instituta diximus, non id esse curandum in eiusmodi disputatione, quale quidque sit, quod exquiratur, sed illud unice spectari oportere, ut verum investigetur. P. 265. B. — 266. D. — Sed ingrediamur nunc etiam viam brevioram ad regis definitionem perdacentem. Poteramus igitur genus terrestre statim dividere in bipedes et quadrupedes. Et quum animadvertissemus humanum genus idem esse sortitum, quod genus volatiliam, licebat bipedum gregem dissecare in nudum et pinnatum. Hoc autem facto, declarata hominum pascendorum arte, proferre poteramus virum civili prudentia insignem ac regium eique committere tandem civitatis habenas. P. 266. D. — E. —

Ex his omnibus nunc facile intelligetur, artem civilem sive regiam esse eam, quae homines una degentes alat atque pascit.

At enim vero magnopere hic verendum est, ne viri civili prudentia ornati atque regis munus non satis accu-

rate exploratum habeamus. Prodibunt enim alii plurimi, qui eandem illam laudem, quam huic uni attribuimus, item affectent, veluti agricolae, pistorum, medici, alii, qui similiter atque ille arte hominum alendorum occupati sunt. Imperfecta igitur nostra viri civilis atque regis descriptio est: quae quo fiat plenior accuratioque, ita ut virum regium exhibeat purum atque solum et a ceteris omnibus segregatum, rursus ab initio aliam nos viam ingredi oportet. Adhibeamus igitur ad rem praesentem fabulam quandam, qua enarrata rursus, ut antea, partem parti adimamus, usque dum ad id perventum fuerit, de quo quaeritur. P. 266. E — 268. E.

Quum igitur alia multa prodita sint antiquitus ad posteritatis memoriam, quae mira videantur, tum memorabile in primis est prodigium illud, quod propter Atrici et Thyestis immanitatem a diis editum est, siquidem tunc solis reliquorumque siderum cursus repente inflexus et mutatus esse narratur. Non minus mirum est illud, quod de temporibus Saturni perhibetur, homines tum non ex se fuisse procreatos, sed ex terra ortos. Nimirum haec aliaque multa, quae in fabulis obscurius narrantur, explicationem habent suam ex uno eodemque rerum statu, qui praeiis aliquando fuit temporibus: quem quum nemo descripterit, ego iam ita describere conabor, ut tota rei expositio ad regem informandum accommodata fiat.

Itaque hoc universum, quod in orbem rotatur, modo Deus ipse ducit et circumagit, modo dimittit liberum. Et hoc quidem ita fit, ubi certi quidam temporis Deo destinati circuitus expleti sunt. Tum vero universum sua sponte rursus in contrariam movetur partem: accipit enim a mundi auctore animum atque mentem, ut sponte sua agere ac se movere queat. Quod autem universum, ubi Deus ipsum gubernare desiit, in contrariam partem volvitur, eius rei causa haec est. Solis rebus divinis convenit, ut semper uno eodemque sese modo habeant; contraria corporum ratio est. Iam quod coelum et mundum solemus appellare, id multa quidem praeclara ab auctore suo accepit, sed accepit item corpus. Ex quo consequens est, ut mutationis vicissitudine liberum esse non possit. Movetur tamen quantum fieri potest sic, ut quam minimam ab eius, quod idem manet, motione habeat declinationem. Nactum enim est circuitum, ut in

orbem circumferatur. Verumtamen quum semper se circumagere et movere nihil possit praeter illud unum, quod omnis motus est causa et principium, idque semper eodem modo agitet; sponte consequitur mundum nec semper semetipsum circumagere, nec perpetuo a Deo cieri, nec a duobus diis inter se discordantibus circumverti; sed, ut antea dictum est, modo ab una aliqua causa divina duci, vitam et immortalitatem ei tribuente, modo, ubi sibi fuerit permissus, per se ipsum proficisci, opportuno tempore dimissum talem, ut multas possit conficere conversiones retrogradus. Mutatio autem illa, qua universum modo ea, qua nunc volvitur, ratione movetur, modo in contrariam circumagitur partem, existimari debet omnium, quae in coelo eveniunt, conversionum longe maxima esse. Cuiusmodi mutationes mirandum non est quod etiam animantium naturam commovent vehementissime. Itaque tum et alia animantia et vero etiam homines maximam partem absumuntur penitusque intereunt. Et hominibus quidem, quo conversio initium capit ei, quae nunc est, contraria, quum multa alia nova et admirabilia accidunt, tum maxime mirum hoc evenit, quod ex ipsius universi conversione sponte eo tempore consequitur. Etenim ubi tempus illud contrariae rotationis advenit, ibi vero primum quidem cuiusque aetas consistebat desinebatque procedere ulterius; deinde veluti inverso cursu ad iunius et tenerius revertebatur, ita ut cani senum capilli rursus nigrescerent; lanugo in iis, qui iam ad pubertatem pervenissent, denuo evanesceret et genas relinqueret levigatas; puberum corpora in dies decrescerent et in puerorum recens natorum redirent naturam; marcescentia porro corpora omnino evanescerent; denique corpora occisorum quoque paucis diebus exstinguerentur. Iam vero si quaeris, qualis tum temporis fuerit animantium generatio, responsio prompta et parata est. Liqueat enim mutuam in rerum natura, quae illo tempore fuit, animantium generationem omnino fuisse nullam, sed, quod in fabulis narrant, viguisse aliquando genus terrigenarum, id illud ipsum fuit, quod eo tempore rursus e terra provenit. Nimirum qui fini prioris illius circuitus fuerunt propinqui et initio huius nostrae periodi nati, ii harum rerum nuntii nobis exstiterunt, ut multi immerito eorum narrationibus omnem derogent fidem. P. 268. E — 271. C. — Iam vero quaeritur, num vita, quam regnante Saturno fuisse fe-

runt, in illas conversiones, an in has posteriores incidere. Nam astrorum solisque mutatio non est dubium quin in utrisque evenerit. De his igitur sic existimandum est. Pertinent utique quae de Saturni regno perhibentur, ad eam mundi aetatem, qua coelum contrario atque nunc motu agitabatur. Nam quod omnia dicuntur sponte ex terra progerminasse, convenit hoc certe in superiorem temporum periodum, in hanc nostram aetatem non convenit. Erat autem tunc mundi regnum fere huiusmodi. Primo Deus ipse universum moderabatur ac regebat mundi circuitum. Sed quemadmodum nunc singulis locis singuli dii assignati et praefecti sunt, ita tunc omnes mundi partes singulis diis tanquam moderatoribus erant demandatae *). Atque etiam singula animalium genera et greges a genis tanquam pastoribus divinis regebantur, idque sic, ut neque ullum eorum ferum esset, neque alterum ab altero absumeretur, neque bellum aut seditio usquam flagraret, nec denique quidquam deesset, quod ad quam maximam felicitatem atque beatitatem valeret. Quod vero de victu hominum ultra tunc succrescente narratur, eius rei haec est ratio. Ipse Deus homines pascebat tanquam unicus eorum praeses et custos, quemadmodum nunc homines, item diviniorem animans, alia animalium genera eaque viliora pascere solent. Cuius cura quum homines fruerentur, neque civitates condebant neque habebant uxores ac liberos; omnes enim ex terra proveniebant, ita quidem, ut nihil quidquam rerum praeteritarum reminiscerentur; nec vero proprias habebant possessiones, quum minimo opus esset agrorum hortorumque cultura, sed omnia sponte ex terra nascerentur. Acedebat mitissima coeli temperies, quae nihil afferebat molestiae; unde non modo nudi nec stragulis utentes pascebantur, sed etiam gramine largiter ex terra pro pullulante pro cubilibus utebantur. Atque ex his facile diiudicari poterit, utra mundi aetas beatior iudicanda sit, Saturnia, an praesens, quae Iove regnante perdurare existimatur. Nam si alumni Saturni, quum iis tantum otii ac tranquillitatis suppeteret ac tanta vitae felicitas obtigisset, non solum cum hominibus, verum etiam cum ceteris animalibus sermones instituerunt, atque in

*) Conf. de his Comment. De daemologia Graecorum in Allgem. Schulzeit. 1833. P. 2. n. 1 sqq. imprimis n. 3, p. 20.

ea re id maxime egerunt, ut omnia ad philosophiam referrent et cuiusque naturae vim rationemque cognoscerent; facile apparet, quantopere illi vitae beatitate his nostris hominibus antecelluerint. Sed mittamus hoc: neque enim certo constat, num homines illius aetatis huic scientiae et philosophiae studio dediti fuerint. P. 271. C. — 272. D.

Quum igitur horum omnium tempus esset exactum atque fato destinatum id, ut tandem rerum commutatio fieret, quumque genus terrenum iam omne esset consumptum, quippe quum unaquaeque anima toties vitae semina dedisset, quoties ei esset mandatum; totius rerum universitatis gubernator, misso gubernaculi clavo, in suam discessit speculam; mundum vero rursus convertit necessitas et innata ipsi cupido. Nam etiam ceteri dii, singulis locis aut animalibus praefecti, quum quod fieret cognovissent, protenus stationes suas deseruerant. Mundus vero quum retro volvi inciperet, vehementer quassatus inter omnes animantes rursus ingentem stragem edidit, usque dum paulatim tranquillius incedens et ad consuetum cursum revertens denuo aequabiliter progredere. Enimvero et patris aedificatorisque sui meminerat praecepta, et satis per se ipsum pollebat, ut per aliquid tempus rectum cursum teneret. Sed quum initio munus suum recte diligenterque exsecutus esset, tamen postremo defecit viribus. Cuius rei causa posita fuit in elemento corporeo, unde erat compositus. Corporum enim natura iam principio fuerat turbulenta et inordinata, ut ne nunc quidem pristino vitio non laboraret. Iam quominus mundus meminuit divinae institutionis, quoque maior in ipso ingruit illius oblivio: tanto vehementius prorumpit innatae ipsi vis materiae, ac tanta denique invalescit perturbatio, ut summum ipsi imminuat interitus periculum. Sed eo ipso tempore summus Deus ei rursus praesentissimo suo adest auxilio. Denuo enim gubernaculis arreptis morbosas eius dissolutasque partes reficit totumque reddit immortalem et senii expertem. Ita igitur mundo converso aetas olim pervenit ad eam generationis viam, quae nunc dominatur, sed rursus tunc nova vidit monstra et superioribus contraria. Nam quae prae parvitate sua paene exoleverant animantia, ea repente rursus in maius excreverunt; quae vero e terra recens orta erant corpora senilia, ea morientia redierunt in terram, et similiter etiam cetera mutata sunt pro to-

tus rerum universitatis statu et condicione. Alia igitur nunc etiam generationis et procreationis et nutritionis ratio existit. Neque enim iam poterant animalia in terra per alias res concrecentes enasci; sed quemadmodum toti mundo mandatum erat, ut ipse pro viribus cursum suum flecteret et moderaretur, ita etiam singulis eius partibus id est permissum, ut quantum possent gignerent omnia, procrearent, nutrent. P. 272. D. — 274. A.

Atque hic tandem pervenimus ad id, cuius causa tota haec oratio suscepta est. Nam quum de reliquis animantibus copiose exponere liceat, cur quaeque et quibus de causis mutatae fuerint, tum de homine id brevius licebit significare. Quum enim homines singulari deorum procuratione destituti essent, mox ita evenit, ut a saevis bestiis misere infestarentur crudeliterque dilacerarentur. Etenim primis illis temporibus premebantur rerum artiumque omnium inopia, propterea quod finita vita priori, qua ipsis omnia ultro succrescebant, res ad vitam degendam atque sustentandam necessarias sibi comparare non didicerant. Quocirca eorum indigentiam ipsi dii levare et avertere decreverunt. Nam ignem is attulit Prometheus, artes a Vulcano et Minerva acceperunt, denique semina atque plantas ab aliis nacti sunt. Hinc inventa sunt denique quae ad vitam instruendam ornandamque valuerunt *): nam deorum quidem procuratio hominibus deerat, ideoque ipsos oportebat vitam moderari suam eiusque rationibus prospicere, quemadmodum id etiam universus mundus facere debuit: cuius imitantes exemplum in aeternum modo hac modo illa ratione vivimus et nascimur. P. 274. A. — E.

Et haec quidem est illa quam narrare constitueram fabula. Sequitur nunc, ut diiudicandum sit, quantum in viri regii et civilis indole ac natura informanda a vero aberraverimus. Ac primum quidem manifesto errore quaerentes de rege et viro rerum civilium perito, qualis nunc sit, pastorem illius aetatis in medium attulimus, quae huic nostrae omnino fuit contraria. Ita enim fa-

*) Cum postrema huius fabulae parte, qua de hominum inopia deque deorum auxilio, quod is contigerit, exponitur, contulisse iuvabit quae simili figmento narrat Protagoras in cognomine dialogo p. 320. C — 322. D.

ctum est, ut in locum viri mortalis deum aliquem substituerimus. Praeterea nec satis dilucide exposuimus, quatenus eum posuerimus esse universae civitatis gubernatorem. Quamquam hoc quidem levius. Apparet vero primum nobis definiendum esse optimam civitatis administrationem, ac tum demum ad informandam viri civilis imaginem accedendum. Propterea etiam intertexuimus fabulam illam, ut non solum appareret de gregali pastione omnes eum eo contendere, de quo nunc quaerimus, verum etiam ipsum accuratius cognosceremus et ab aliis discernere. Arbitror vero equidem divinum pastorem revera maius quiddam esse, quam ut cum rege comparari possit, viros autem civiles, quales nos habemus, rectius numero eorum accenseri, qui imperio aliorum subiecti sunt, atque his esse similiores. Verum hoc utcumque se habet, illi certe indagandi explorandique sunt. Illuc igitur redeamus, unde supra deflexit oratio. P. 274. E — 275. C.

Videamus autem ante omnia de erroribus in superiore disputatione admissis. Ac primum quidem nonnihil peccatum est in divisione τῆς ἀντεπιτακτικῆς, quandoquidem, quum ei τὴν ἀγέλαιοντροφικὴν subiectam putarem, omnino nullam duximus viri civilis rationem. Nam gregis pascendi negotium aliis quidem custodibus recte attribuitur, viro civili attribui non potest. Hic enim non pascit gregem, sed potius curat. Itaque deligendum fuit nomen ambitus latioris, quod et in virum πολιτικόν, et in ceteros, qui pascunt, conveniret, veluti ἀγέλειονκομιχὴ aut θεραπευτικὴ. Deinde vitium inerat in extrema divisionis parte. Nam post bipedis gregis alendi artem non debuit continuo ars civilis ac regalis commemorari, quasi re iam penitus absoluta. Nam primum ita emendandum fuit nomen eo modo, ut potius ad curam quam ad pastionem significandam pertineret; deinde etiam illud attendi debuit, num quae aliae adhuc partes divisionis superessent, id quod temere negleximus. P. 275. C — 277. D.

Iam si quaeris, quo pacto nobis nondum satis de rege et viro civili expositum sit, res videtur exemplis declaranda et illustranda esse, siquidem in rebus minutioribus et facilioribus citius perspicere licet, quomodo in quaestionibus gravioribus versandum sit. P. 277. D — 279. A.

Sumamus igitur exempli loco artem textoriam, et quidem illam eius partem, quae in lana texenda versatur, repetamusque a summo genere.

Omnium eorum, quae vel fabricamur vel acquirimus, duplex est finis, aut ut ope eorum aliquid efficiamus, aut ut ne quid patiamur. Ea quae prohibent, quominus quid patiamur, sunt vel remedia sive ἀλεξιφάρμακα, vel propugnacula s. προβλήματα. Horum rursus duplex genus est, armorum, ὀπλισματα, et sepimenta, φράγματα. Sepimenta aut velamenta sunt aut praesidia ad defendendam vim frigoris et caloris. Ex his rursus alia sunt στεγάσματα s. operimenta, alia σκεπάσματα, h. e. tegumenta. Ad tegumenta pertinent et stragula et vestimenta. Vestimentorum alia sunt ex toto secta, composita alia. Ex compositis discerni possunt ea, quae perforata sunt, et illa, quae sine perforatione sunt confecta. Eorum, quae non sunt perforata, alia e nervis plantarum, alia e pills constant. Horum rursus duplex genus est, quandoquidem alia aquae et terrae ope conglutinantur, alia per se sola colligantur. Et his quidem amictus nomen tribuimus, artem vero, qua conficiuntur, nominare placet vestiariam, s. ἱματουργικήν. Dicere licebit etiam textoriam s. ὑφαντικήν, ut quae in vestium confectione primas teneat. Verum enim vero etsi eam iam a multis cognatis artibus segregavimus, tamen nondum distinximus a vicinis operae sociis, ut sane imperfecta sit rei expositio. Enimvero qui ab initio vestium confectionem aggreditur, is certe non contexere, sed contrarium quiddam facere existimandus est, hoc est carminare, carpere, tractim divellere. Neque etiam staminis et subteminis confectionem recte appellabimus textoriam. Negleximus item artem fullonum et sartorum, quae quum et ipsa ad vestiariam pertineat, tamen non est ipsa textoria. Ita igitur apparet, ut ars lanearum vestimentorum conficiendorum plene accurateque definiatur, in dividendo subtilius etiam esse versandum. P. 279. A — 281. D.

Experiamur ergo hanc partitionem. In omnibus, quae peraguntur, duae artes sunt distinguendae, altera confectionis adiutrix s. ἐναίτιος, altera eiusdem effectrix, h. e. αἰτία. Et eas quidem artes, quae fusos et radios fabricantur et quae pertinent ad alia instrumenta textoria, adiutrices dicamus; quae vero ipsam texturam perficiunt atque curant, eas appellare placet effectrices.

In posteriorum numero habentur lavandi (πλυντική) et sarcindi artes aliaeque, quarum partem huc pertinentem κοσμητικήν communi nomine artis falloniae comprehendamus. Iam etiam carminandi et nendi artes omnesque eae, quae in conficiendis vestimentis versantur, unam efficiunt ταλαουργικήν, sive lanae tractandae artem. Huius ipsius vero rursus partes sunt duae, altera ξυγκροτική, quae in coagmentando posita est, altera διακροτική, quae secernit ac dirimit coniuncta. Ad διακροτικήν igitur pertinent ars carminandi, subteminis faciendi, denique aliae omnes, quae coniuncta digerunt ac secernunt; ad ξυγκροτικήν autem referuntur quaecumque consociant et connectunt vestimentorum elementa. Iam vero si artem textoriam invenire voluerimus, necesse erit bifariam dividamus τὸ ξυγκροτικὸν καὶ ταλαουργικόν. Discerni vero in eo potest τὸ στρεπτικόν, quo fila torquentur, et τὸ ξυμπλεκτικόν, quo connectuntur. Illud complectitur staminis pariter atque subteminis confectionem. Quamobrem dispesci potest in σημονονητικήν, quae subtemen e filis contortioribus conficit, et κροκονητικήν, cuius munus hoc est, ut fila molliora et laxiora stamini implicentur. Est igitur ars lanae texendae non alia, quam quae ex filis laneis per stamen atque subtemen efficit texturam. P. 281. D — 283. A.

His ita expositis hospes Eleaticus orationis longitudinem ita excusat, ut veluti in transcurso quid omnino de sermonum brevitate ac longitudine existimandum sit et ad quam normam atque legem ea sit exigenda, exponere conetur. Censet autem metiendi artem in iudicanda longitudine ac brevitate omnino dupliciter posse versari, prouti vel magnitudinem et breviteratem inter ipsas contendat, vel ad τὸ μέτριον et ipsam rei, de qua agitur, naturam respiciat, hoc est aut relative aut absolute quamvis magnitudinem consideret. Et posteriorem quidem rationem ibi locum habere arbitratur, ubi de modo in arte quapiam servando quaeratur. Artibus enim propositum esse hoc, ut in agendo omne id caveatur, quod parum nimiumve sit, quo uno fieri, ut bona et pulchra omnia per eas efficiantur. Itaque ipsam metiendi artem ait bifariam dividi posse, siquidem vel eas artes complectatur, quae numeros, longitudines, altitudines, celeritates ex contrariis metiantur ac diiudicent; vel ad eas attineat, quae id, quod magnum et parvum, nimium aut parum sit, ex cuiusque rei in se spectatae natura atque modo,

ex decore, ex opportuno, ex necessario, denique ex iis, quae media sint inter extrema, definire soleant. P. 283. A. — 285. C.

His addit porro Eleates nonnulla, quae ad disputationem de viro civili institutam pertinent. Etenim unamquamque disputationem censet ex eo maxime iudicari oportere, quod ipsi propositum sit. Itaque, si in ea id agatur, ut audientes vel legentes ad dialecticam facultatem instituantur et exerceantur, non illud videndum esse sit, utrum longior sit an brevior, sed illud unice quaeri oportere, num quod ipsi fuerit propositum, plane sit assequuta. P. 285. C. — 287. B.

Harum rerum expositione tandem absoluta reditur ad quaestionem de viro civili, ita quidem, ut exemplum disputationis de arte textoria antea institutae ad rem praesentem accommodetur. Quamobrem Eleates sic disputare pergit.

Quemadmodum multas artes reperiri vidimus, quae etsi textoriam adiuvant, tamen non ad ipsam illam pertinent; ita etiam plurimae artes sunt, quae valent ad rempublicam eique opitulantur, nec tamen pro partibus ipsius artis civilis haberi possunt. Sunt igitur quaedam artis civilis adiutrices, non item effectrices. Quorsum pertinent artes fere haec: primum quibus varia conficiuntur instrumenta, deinde quibus omnis generis vasa et supellectilia elaborantur; tum quibus construuntur vehicula, quibus in itineribus vel maritimis vel terrestribus utimur; porro quarum ope tegumenta cuiuscunque generis ideoque etiam vestimenta comparantur; quintum quae circa artis opera atque ludera versantur; sextum quae rudem corporum materiam, veluti aurum, argentum, alia, tractant; septimum denique quibus victus comparatur. Ita igitur quae artes pertinent ad rudis materiae tractationem, ad instrumenta, ad vasa, ad vehicula, ad tegumenta, ad artis opera, ad victum denique, eas iam rite ab arte civili distinximus ac segregavimus. Tractationem autem mansuetorum animalium, si a servis discesserimus, complectitur *ἡ ἀγελαιοτροφικὴ*, quae et ipsa ab arte civili segreganda est. Reliquum igitur est servorum et ministrorum genus, inter quos fore suspicari licet, qui ad artis civilis laudem utique aspirent. Nam etsi venales illi servi, itemque ii, qui sese ultro eorum operae ad-dixerunt, agricolae, opifices, mercatores, mercenarii,

omnino regiae artis partem sibi vindicant nullam, tamen in medium prodeunt ministri alii, ea arrogantia inflati ac tumentes, ut reipublicae moderari videri velint. Quorsum referendi sunt praecoones et scribae publici, praecipue autem vates, qui vulgo deorum interpretes habentur, atque sacerdotum gens, quae in Aegypto adeo eum nacta honorem est, ut nullus rex a sacerdotio seorsum imperare queat, ac si forte ex alio ordine oriundus regnum per vim occupaverit, postea in hoc genus recipi necessario debeat. Ad hos accedit varia ista et vere admirabilis natio eorum, qui partes maximorum inter sophistas praestigatorum agunt, hoc est ii, qui semet ipsos civitatis administrandae regendaeque peritos profitentur, quos sane perquam difficile est a viris vere regis civili prudentia instructis discernere. Hunc igitur inanem praestigatorum chorum potissimum ab illis seungere ac separare debebimus, siquidem perspicue voluerimus intelligere id, de quo quaeritur. P. 287. B. — 291. C.

Distinguuntur igitur tria civitatum genera, unius dominatio, s. monarchia, imperium paucorum, s. aristocratia, et democratia. Quae rursus dividi possunt in suas quasdam partes. Nam monarchia, ubi secundum leges et civibus volentibus exercetur ab eo, penes quem est civitatis imperium, regnum dicitur; sin pro arbitrio et invitis civibus habetur, tyrannis est: imperium porro paucorum si a divitibus obtinetur, aristocratia; sin a pauperibus occupatur, oligarchia vocatur; democratia denique sive volentibus civibus sive invitis, ac sive arbitrio sive ex legibus, locum habet, idem semper nomen retinet. Sed vera reipublicae forma neutiquam ex eo diiudicanda est, num unus an plures, pauperes an divites violenter aut secundum leges regnum exercent. Imo ea, quae vera est reipublicae ratio, ex una scientia pendet, sicuti antea recte videmur iudicavisse. Itaque ea una vera germanaque civitas est, cui aliquis iusta praeditus scientia praestet. Hanc vero scientiam sibi comparare res est una omnium difficillima: nam inter multa millia hominum vix singuli reperiuntur qui illam teneant, sicuti inter mille homines vix unus alterve est, qui lusum calculorum plane cognitum habeat. Jam vero cui reipublicae praestet is, qui hac scientia sit ornatus et instructus, ea sine dubio omnium optima haberi debet, sive secundum leges sive sine legibus administratur, ac sive volentibus gu-

bernatur civibus sive invitis: nam quaecumque rex sapiens suscepturus sit, sive aliquos eiciat in exilium, sive alios supplicio afficiat, sive peregrinos donet civitate, ea omnia civitati universae conducant necesse est, quoniam a sapientibus proficiscuntur consiliis. Quod autem talem sapientem statuimus vel sine legibus optime regnaturum, id minime debet videri ineptum esse aut absurdum. Nam multo est praestabilius virum prudentem regnare quam legem. Quippe humana omnia fluxa sunt, inconstantia, perpetuae obnoxia mutationi. Quamobrem nullo modo fieri potest, ut leges ferantur omnibus hominibus ac temporibus aptae et idoneae; nec ullus legum auctor novisse potest, quid expediat singulis, qui illud tantum respicere soleat, quod plurimis profuturum videatur, eaque ipsa re saepenumero singulis adeo noceat. Quamobrem legum perpetuae mutationes fiant necesse est atque saepissime etiam in singulis casibus ab earum auctoritate iniuste recedi oportet. Verum enim vero ex eo ipso, quod difficile est publice constituere, quid singulis conducat, quidque iis iustum sit aut rebus consentaneum, sponte consequitur, universalem quandam legem pro norma atque regula habendam esse, ad quam rerum publicarum gubernatio dirigenda sit, quemadmodum vulgo in singulis artibus communia quaedam praecepta reperiuntur, ex quibus earum fit exercitatio. Quam quidem legem communem profecto unus tenet ille sapiens, quem civitati praefectum volumus. Ex quo quid porro consequatur, apertum erit omnibus. Nam sicuti minime iniustum aut durum est, si medicus aegrotum aliquem ipsi parum morigerum per vim adigat ad facienda ea, quae ipsius valetudini expediant: ita nec durum existimare licebit, si is, qui vera arte rempublicam gubernandi praeditus est, cives sapienti consilio nec legum iussu ad ea cogat, quae ad communem salutem valeant, in eaque re nec vi absteineat. Quippe talis sapiens id unice spectabit, ut omnia fiant iustius ac melius, quam si ex mutis legum institutorumque praeceptis peragantur. Quemadmodum igitur gubernator quidquid navi et nautis conducit observans neque leges ponens, sed arte tanquam lege utens, nautas a periculis tutos et incolumes praestat, item optima indicanda est civilis administratio eorum, qui sic imperant, ut artis vim legibus potiolem adhibeant. Optimum est igitur non leges vigere, sed virum aliquem regia mente praeditum gubernacula tenere rei-

publicae, qui sit civitatis tanquam νόμος ἐπιτηρῆς, h. e. lex non mortua, sed viva. P. 291. C. — 297. B.

Nunquam vero futurum est, ut maior hominum multitudo, qualescumque illi sint, hanc talem scientiam adipiscatur et civitatem sapienter administret. Imo paucissimorum, et vero unius tantum est recta illius gubernatio. Quae autem vulgo habentur reipublicae, eae nihil sunt aliud nisi optimae illius atque perfectissimae imitationes, modo propius ad eam accedentes, modo inde longius recedentes. Usurpare vero illae coguntur, ut semet ipsas conservent, optimae civitatis instituta, atque id curare, quod modo laudavimus, etsi non sit optimum, nimirum ut civium nemo quicquam praeter leges facere audeat; sin autem quis fecerit, is supplicio ac morte multetur. Haec enim ratio secundum priorem illam, quam antea descripsimus, utique pro optima et pulcerima habenda. P. 297. B — E.

Age vero, explicemus iam dilucidius, qua ratione existat illud ipsum, quod secundum diximus. Enimvero non capiunt hominum vulgarium animi verae illius regiae artis magnitudinem et praestantiam, unde eius interitus similiter acceleratur, atque aliis quoque artibus futurum esset, si populus earum rudis et ignarus, adempta iis, qui illarum periti sunt, omni praeciipiendi potestate, leges dare ac sancire vellet, ad quas singulae essent exercendae. Nam ita patet propter legem vetantem nihil amplius ad artium amplificationem et perfectionem inventum iri, ac vitam, iam nunc satis molestam illam, existuram esse plane intolerabilem. P. 297. E. — 299. E.

Iam vero hoc quum per se malum sit, tamen maius etiam malum existet, si qui publice custodiendis legibus praefectus est, is neglecta earum auctoritate vel lucri alicuius vel gratiae privatae causa vim earum infringere conatur. Nam qui leges impugnat multo usu confirmatas, de quibus prudentes aliqui viri scite deliberarunt, quasque iidem populo suaserunt et commendarunt, is omnem omnino evertet agendi rationem, adeoque civitati plus damni inferet quam ipsae praescriptiones. Quocirca iis, qui de unaquaque re leges sciendas esse arbitrantur, etiam hoc diligenter agendum est, ut contra eas neque unum aliquem neque multitudinem quidquam moliri concessum sit. Iam vero quae isto modo a viris prudentibus publice perscripta sunt et legibus san-

cita, ea non alium habent fontem nisi verae artis civilis imitationem. Verum autem germanumque politicum antea censebamus multa esse instituturum facturumque suo ipsius arbitrato, non consulta scripturarum legum voluntate, siquidem ipsi ita expedire videatur. Quod idem institutum imitari possunt etiam ii, qui in sua civitate scriptis legibus utuntur, modo de earum emendatione viri prudentes conferant consilia. Sin imperiti hoc emendandi negotium suscipiant, imitabuntur illi quidem rectam rationem, sed imitabuntur pessime, hoc est, leges depravabunt. Quod autem antea iudicavimus, magnam hominum multitudinem non posse ullam artem penitus percipere accurateque tenere, idem vel imprimis existimandum est de arte regia, cuius scientiam neque divitum multitudo neque universus populus unquam percipiet. Oportet igitur huiusmodi civitates, si quidem veram illam rempublicam, quam unus cum arte administrat, pro viribus imitari voluerint, nunquam quidquam facere contra praescripta et instituta patria. Ex cuius rei observatione aut neglectione oriuntur variae illae regiminis formae, quas antea significavimus. Nam divites si veram illam civitatem ob oculos habent ideoque constanter legum publicarum tuentur auctoritatem, locum habet optimatum imperium, cui nomen *αριστοκρατίας* imponimus; sin iidem leges non curant, oritur imperium paucorum sive *ὀλιγαρχία*. Quodsi vero unus aliquis in civitate imperat vere sapiens ac prudens, uno regis nomine appellandus erit: si idem neque leges neque instituta publica reveretur, sed scientiam simulans etiam contra ea, quae legibus sancita sunt, meliora instituenda et facienda esse clamitat, in eo ipso tamen vel lubricine vel inscitia ducitur, recte eum tyrannum appellabimus. Ita igitur et tyrannis existit et regium imperium, et paucorum et optimatum et populi gubernatio, quoniam homines uni illi regi, nomine imperantis vere digno, diffidunt, neque sibi persuaderi patiuntur esse aliquem dignum hoc tali imperio, quum et velit et possit eum virtute et scientia imperare, et quidquid iustum atque fas sit recte inter omnes distribuere, nemini cuiquam autem ullum inferre detrimentum: quanquam talis si reperiretur, qualem informamus, eum omnes uno ore confitentur magni aestimatum iri et imperium suum beate esse exerciturum. P. 300. A. — 301. D.

Quum vero talis rex et princeps nusquam reperia-

tur, necesse est, ut leges et scribantur et publice sanciantur, ita quidem, ut vestigia verissimae civitatis quam diligentissime serventur. Nec vero mirum accidet, quod in eiusmodi civitatibus tanta mala et nunc eveniunt et postero tempore eventura sunt. Quippe fundamentum earum hoc est, ut ex solis praescriptionibus et institutis, non item cum scientia et arte res suas gerant ac gubernent. Quod si in quacunque alia rerum administratione fiat, quis est quin videat brevi futurum esse, ut rei eventus omnem spem destitueret? Magis igitur mirari consentaneum est, quod vel inter tales respublicas nonnullae diuturniores extiterunt neque brevi tempore eversae sunt. P. 301. D. — 302. B.

Verum his explicatis iam etiam illud videamus, quae-nam ex his deterioribus civitatibus civibus in ea degentibus minime molesta sit, quaeque iisdem maxime molesta fiat et incommoda. Nam etsi huius rei quaestio ad propositum nostrum nihil pertinet, tamen, si summam rei spectamus, omnes id maxime curare et respicere solemus.

Non dubito vero confidenter affirmare, unam esse et eandem civitatis formam, quae et optima sit et longe omnium tristissima. Nam et monarchia et oligarchia et democratia bifariam dispesci possunt, ut sex prodeant regiminis formae, a quibus tanquam septima optima illa civitas secernenda est. Quippe monarchia est vel *βασιλική* vel *τυραννική*; oligarchia porro aristocratiam et pravam paucorum dominationem complectitur; democratia denique item vel secundum leges vel per vim et arbitrium imperium suum exercet. Ex his igitur reipublicae formis monarchiam aio et optimam esse et longe molestissimam. Etenim paucorum imperium ipsa natura sua quasi in medio collocatum est. Multitudinis porro dominatio ideo minus est periculosa, quia neque bona neque mala insignis efficere potest, quum potestatem habeat inter plurimos divisam. Quamobrem sane optimum fuerit in democratica vivere civitate, si omnes rerum publicarum formae peraeque depravatae sint; sin autem omnes sint bonae, in illa vixisse minime expediet, siquidem tum monarchia omnium optima et praestantissima videri debet. Quanquam huic quoque mirum quantum praestat optima illa, quam antea descripsimus, civitas, in qua rex sapiens pro viva lege valet. P. 302. B. — 303. A.

Apparet igitur nunc luculentissime, eos omnes fere, qui in his verae civitatis tanquam umbris tractandis versantur, non esse artis regiae ac civilis vere peritos, sed potius inanes quosdam germani politici imitatores, vanos praestigiatores, denique maximos omnium sophistarum sophistas. Quos iam intuentes conspiciari nobis videbimur revera tanquam in fabula turbam aliquam Centauro-rum et Satyrorum, quos in sapientis illius regis societatem admittere velle maxime temerarium fuerit. P. 303. C.

Sed quum iam artem civilem, nomine suo dignam, ab reliquarum civitatum administratione sejunxerimus, tum aliud quid dispiciendum superest, ad diiudicandum sane multo difficilius, propterea quod regis generi magis cognatum habetur. Videndum enim, quatenam arti imperatoriae, iudiciariae et oratoriae cum arte civili intercedat coniunctio et necessitudo: nam hoc demum explorato poterimus virum civilem a reliquis omnibus diligenter separare separatumque exhibere et proponere. P. 303. D. — 304. A. Qua de re hoc videtur animad-verti ac teneri oportere.

Differt ab artibus ceteris semper ea ars, qua quis illarum usus sit et quanto aut quo modo singulae adhiberi debeant, ostenditur ac demonstratur: ea enim est quasi regina quaedam ceterarum omnium, quae ipsius tantummodo ministrae sunt, nec ipsae norunt aut docent, quo tempore quoque modo adhibendae sint. Idem plane usu venit in iis artibus, quas modo nominavimus quasque diximus ab arte civili secerni oportere. Etenim dicendi arte quando opus sit, ex ipsa minime potest intelligi; id unice ars regia vel civilis docet, quae illi quasi imperat. Eadem ratio est etiam imperatoriae et iudiciariae artis, cuius usus omnis ex arte civitatem gubernandi suspenditur. Hae igitur artes cunctae quum huic uni serviant et quasi famulentur, facile apparet, quanto intervallo ab illa distare existimandae sint. Enimvero ars civilis certe nihil aliud est nisi ea scientia, quae omnibus legibus, institutis, consiliis denique publicis praecedit iisque sapienter moderatur. P. 304. A. — 305. D.

Distinximus tandem artem civilem a ceteris omnibus, quae eius laudem aemulari posse videantur. Sequitur ut eiusdem munus et officium propius considerandum sit. Qua in re optime sic versabimur, ut exemplo artis textoriae utentes regiam quasi textoriam cognoscamus, et quo

modo ea civitatis fila coniungat atque inter se contextat paucis exploremus. Sunt igitur variae virtutum rationes, ex quibus maxime fortitudo ac temperantia, si quidem ingeniorum indolem spectamus, inter se sunt contrariae et oppositae. Quippe illa est hominum calidiorum et vehementiorum propria, haec ingenii moderatioribus atque mollioribus convenit. Itaque celeritas ingenii et vehementior animi impetus tanquam fortitudinis documenta multis in rebus laudantur; similiter etiam lenitas, moderatio, sedatus animus, non raro summis laudibus celebrantur, quippe quum temperantiam arguant. Nimirum laudabilia sunt haec omnia, sicubi opportune locum suum tenent; si contrarium evenit, magnam etiam subeunt reprehensionem. Nam ita pro fortibus audimus insani, petulantes, superbi; et pro temperantibus timidi, ignavi, molles evadimus. Quum vero haec sit virtutum istarum discrepantia, consequens est, ut qui alterutra earum or-nati sunt, ii tota vita sua etiam sequantur contraria; unde maxima saepe in rebus publicis nascitur perturbatio. Nam qui sunt moderatiores, quum vitam ament tranquillam et otiosam, facile evenit, ut aliis per omnia cedant, obsequantur, serviant, ideoque iis denique tanquam dominis mancipentur; qui autem sunt fortes et animosi, propterea quod nullum reformidant periculum et vehementiore ingenii impetu agitantur, saepe numero id efficiunt, ut miserae rixae et contentiones exardescant, atque periculosa bella incendantur, quibus respublica in maximum servitutis discrimen adducatur. Ita igitur virtutes illae inter se contrariae et oppositae quantum malorum efficere queant, facile apparet. P. 305. D. — 308. A.

Iam vero nulla est ars, quae non in operibus suis componendis fabricandisque sola bona deligat, mala quantum possit amoveat et reiiciat, ipsa bona autem ita inter se componat, ut similia ac dissimilia quam aptissime inter se coniungantur. Nam hoc demum modo perfecta aliqua cuiuscunque operis species et imago effingi potest. Idem igitur etiam arti civili propositum esse debet. Quae volens quidem nunquam civitatem aliquam componet ex bonis et malis hominibus, sed primum quidem singulorum animos et ingenia explorabit, tum vero exploratos recte institui curabit atque erudiri. Tradet autem eos in disciplinam idoneorum magistrorum, qui ipsa praecipiente ac moderante institutionis negotium exer-

ceant. Nimirum quemadmodum ars textoria carminantibus ceteraque omnia, quae ad texturam necessaria sunt, tractantibus sedulo adest ac talia quemque opera iubet perficere, quae ad contextum suum sint accommodata: ita etiam regia ars publicis praeceptoribus atque educatoribus diligenter invigilat neque permittit, ut ea faciant, quorum exercitatione animi adolescentium fiant ipsius temperationi minus congruentes. Quodsi vero reperiuntur, qui non possint fortitudinis, sapientiae, aliarumque virtutum participes fieri, sed indolis ingenique pravitate ad impietatem, petulantiam, lubidinem, iniustitiam feruntur, eos elicit, morte et exilio multat, denique maxima afficit infamia. Nec vero illos leniter tractat, qui ad virtutem ac sapientiam hebetes et obtusi in summa volutantur inscitia et humilitate. Hos enim in servorum refert numerum. Ex reliquis autem omnibus, quorum ingenia animique ad generositatem possint conformari, quasi civitatis texturam conficit, quandoquidem eorum, qui ad fortitudinem sunt procliviores, firma ac dura ingenia staminis instar fore, illorum autem animos, qui natura sunt modestiores, subteminis loco futuros esse plane sibi persuasit. Conatur vero hoc fere modo eos colligare et contexere. Primum pro cognationis ratione sempiternam animi eorum partem divino nequit vinculo; deinde partem animalem humanis vinculis constringit.

Quippe divinum in humano genere, divinitatis utique consorte ac particeps, nihil est aliud nisi verum de honesto, iusto et bono iudicium, idque certum et ratione confirmatum. Hoc vero ut animis civium ingeneretur, id unus omnium optime vir artis civilis vere peritus et bonus legum lator regia arte sua efficere potest, alioquin praeclarissimo hoc nomine utique indignus futurus. Itaque iis, qui omni ad virtutem indole destituti sunt, exclusis, quippe ex quibus nulla unquam componi civitas potest sive per se solis sive cum aliis commixtis, ceteros omnes, qui doctrinae et institutionis ope ad sapientiam et honestatem conformari queunt, ipsa virtutum copulatione ad vitam in civitate bene beateque degendam aptos et idoneos reddit. Nam fortes qui sunt atque ingenii vehementioris, eos sapiens civitatis gubernator rectis de bono et honesto opinionibus corrigit redditque moderatores; modestos autem ac temperantes ad res strenue fortiterque gerendas excitat et inflammat.

Etenim veri, boni, honestique cognitione, qua civium animi imbuuntur, contrariae vitae virtutes sublatis vitis cognatis tanquam communi vinculo firmissime colligantur. P. 308. A — 310. A.

Reliqua sunt vincula humana, quae cognito divino illo vinculo et facile animadvertere et animadversa ad usum adhibere liceat. Cernuntur illa maxime in iis, quae spectant ad mutua connubia, ad liberorum communionem, denique ad privatas nuptias et matrimonia. Haec igitur omnia non opulentiae aut potentiae gratia quaerenda sunt; id enim perversum esse viri prudentes communi iudicio consentiunt. Sed alia etiam cautio in iis adhibenda est. Fit enim vulgo sic, ut commoditatis gratia similes cum similibus ineant matrimonia. Namque modesti suam ipsorum indolem etiam in aliis amant ideoque uxores ducunt consimilis ingenii; iidem etiam liberos suos pari condicione in matrimonium dare solent. Similiter agit genus eorum, qui fortes sunt, quippe quod item suam ipsius consecatur naturam. Atqui re diligentius considerata, plane contrarium fieri oportere facile intelligetur. Tam fortitudo ubi multa per secula ita propagatur, ut non commisceatur cum natura temperata, denique in immanem degenerat ferociam ac pristinam virtutis laudem omnem amittit. Verecundia autem atque temperantia, ubi omni abstinet cum fortitudine et audacia commercio, postremo in pravam exhibit ignaviam atque mollem segnitiam. Hoc igitur ut ne in civitate ita accidat, ars civilis quantum fieri possit utique cavebit. Efficiet autem id eo modo, ut utrique generi unum idemque impertiatur de pulcris, bonis et honestis rebus iudicium. Hoc enim maximum atque unum est eius opus et officium, ut ingenia natura dissimilia, sed bona ad virtutem indole praedita, tanquam regiae texturae artificio communi iudiciorum de rebus maximis consensione in unum coniungantur, eaque consensio honoribus et ignominibus et existimatione publica et mutuis vadimoniis et vero etiam distribuendis prudenter magistratibus confirmetur. Nam magistratus quoque utrumque ingenium referant necesse est. Itaque ubicunque uno opus fuerit civitatis princeps, ars civilis eum deliget, in quo insit lenitas et mansuetudo cum fortitudine ac severitate coniuncta. Ubi vero pluribus opus sit, eos utriusque generis esse iubebit. Nam lenium ac moderatorum principum indoles etsi cauta est et iusta et servandae salutis

omnis studiosa, tamen non poterit carere quadam vi et audacia, quo fortius consilia ipsius peragantur. Fortium autem ac strenuorum magistratum ac principum natura illi alteri in iusto cunctoque observando utique cedit, temeritatem vero in agendo habet eximiam. Itaque utriusque ingenii temperatio quasi quaedam et mixtura fiat prorsus necesse est, si quidem futurum sit, ut in civitatibus privatim et publice bene beateque vivi queat. Atque hunc finem propositum esse dicamus omni actioni civili, ut fortium et moderatorum virorum prudenti colligatione quam optima telae textura efficiatur, quando ars regia per concordiae et amicitiae vincula vitam eorum coniungens omnium textorum magnificentissimum atque optimum absolvat, reliquosque, qui in civitate degant, servos et liberos, hac textura sua complectatur, ita ut universae reipublicae quam maximae obtingat felicitatis possessio.

His auditis in ipso exitu sermonis Socrates, non ille iniunior, opinor, sed sapiens, rupto tandem silentio, Praeclare vero, o hospes, etiam regium virum ac civilem descripsisti. Quibus verbis pronuntiatis dialogus finitur.

Summatim tandem retulimus, quae in hoc Platonis opere, de quo agitur, disputata leguntur. Unde sicuti clarum et apertum erit omnibus, insignem esse rerum in eo explicatarum gravitatem, ita etiam perspicetur facillime, maximam esse difficultatem, qua prematur eius interpretatio. Nam quaecumque eius partem intuemur, certe nulla est, quam non fatendum sit aliquid habere dubitationis. Quid enim? Qui tandem sit, ut primarii interlocutoris partes non Socrates ille tueatur, qui in plerisque aliis Platonis dialogis loquens inducitur, sed hospes aliquis Eleaticus, et quidem idem ille, qui iam in Sophista loquens inductus est? Quorsum porro pertinet singulare istud disserendi genus, quod per totum fere sermonem diffusum est, quandoquidem argutae minutaeque generum in formas divisiones tanta copia et multitudine coacervantur, ut qui assuefacti sunt Socraticae illi disputationis suavitati atque facilitati, quae in ceteris Platonis operibus regnat, si non iam Platonem legere sibi videantur, sed potius scriptorem aliquem horridae cuidam ac spinosae dialecticae immoderatus indulgentem? Quenam caussa et ratio est longae istius atque copiosae de variis mundi aetatibus narrationis, quae

sicuti in se non pauca habet ad explicandum difficilia, ita etiam cum principali disputationis argumento parum apte videtur cohaerere? Et qualem tandem putabimus esse virum illum scientia civili praeter ceteros praeditum, quem philosophus informavit atque instituit, qualesque eos, qui ipsi tanquam e regione collocantur? Quid denique censebimus de universi operis argumento et proposito? quid de partium, ex quibus constat, descriptione atque iunctura? quid de coniunctione et necessitudine, qua cum aliis Platonis libris contineatur? quid de fontibus, unde hausta sint, quae in eo videntur esse singularia? Haec igitur atque alia id genus non pauca ita certe comparata sunt, ut magna sane premantur obscuritate et singularem quandam requirant explicationem, siquidem futurum sit, ut totus liber penitus intelligatur recteque aestimetur. Id ipsum vero hac disputatione nostra pro viribus efficere conabimur, in eaque re videmur optime sic versaturi esse, si ante omnia de temporibus quaeramus, quibus librum scriptum atque editum esse suspicari liceat. Nam quum Plato in plerisque omnibus operibus suis scribendi consilia pro temporum varietate ita variasse reperiatur, ut iis interlocutorum personas, argumenti delectum, disserendi rationem, alia, prudenter attemperaverit, tum in scribendo Politico eorum temporum, quibus tum aut utebatur aut modo usus erat, quum librum scriberet, adeo diligentem habuit rationem, ut his non satis definitis fieri nullo modo possit, ut liber plene accurateque intelligatur. Quamobrem age ante omnia videamus, ecquid de his rebus certius exquirere et statuere possimus.

Praeclare vero nobiscum actum esset, si ex mentione institutorum Aegyptiorum p. 264 C. *) et 290 D. **) iniecta certo liceret colligere, quod inde Tennemannus ***) non improbante Schleiermachero †) et Car. Fr. Hermanno ††) collegit, scriptum esse dia-

*) Ibi leguntur haec: οὐ γὰρ δὴ προσερχθῆς γε αὐτὸς οὐδ' ὄτε γέγονε καὶ ἐν τῷ Νελλῷ τιθεοσιαιε τῶν Ἰχθύων καὶ τῶν ἐν ταῖς βασιλικαῖς ἡρμαῖς.

**) Ibi enim haec: ὄτε περὶ μὲν Αἰγυπτίων οὐδ' ἔστι βασιλικὰ χωρὶς ἱερτικῆς ἀρχῆς.

***) V. Tennemann. System. Philos. Plat. Vol. I. p. 120.

†) V. Schleiermacher. Opp. Plat. Germ. Vol. II. P. II. p. 251. ed. 2.

††) C. F. Hermann. Hist. Phil. Plat. I. p. 501.

logum post iter a Platone in Aegyptum susceptum. Nam ita certe haberemus unde faceremus in gravissima hac disputationis parte quaerendi initium. At enim vero sunt ista temporis iudicia adeo incerta atque dubia, nihil ut inde tuto concludi posse existimemus, nisi si alia etiam accedant, unde certius de re controversa repetatur iudicium. Quis enim nobis spondeat Platonem de illis institutis nihil fama et auditione accepisse, sed ipsum praesentem ea cognovisse. Quamobrem alia nobis via in huius rei quaestione ingredienda est, siquidem ad aliquam coniecturam probabilitatem pervenire velimus. Ea vero quaerentibus sese tanquam ultro videtur offerre. Nam primum quidem Politicus arctissimo vinculo cum iis libris continetur, unde satis certo intelligas, a quonam inde tempore philosophus quum horum ipsorum tum etiam Politici scriptionem commentatus sit. Deinde ab hoc ipso tempore in universum quidem de vita atque fortuna Platonis ita constat, ut quorsum studiorum suorum consilia dirigere vel potuerit vel debuerit, facili negotio conicere possimus. Denique ipsa illa opera ita comparata sunt, ut cognito perspectoque eorum argumento atque ratione coniectura non veridissimilis de tempore locum habeat, quo et litteris consignati et in lucem publicam emissi sint. De quibus omnibus ita placet exponere, ut brevi opere conficiamus disputationem. Hoc autem ita videmur consequuturi esse facillime, si vitae cursum, quem Plato inde a Socratis obitu tenuit, persequentes et tanquam lustrantes simul ea animadvertamus ac notemus, quae ad definiendum tempus conducant, quo scripta cum Politico coniuncta et arctiore quodam necessitudinis vinculo copulata ipsumque Politicum foras prodiisse conicere liceat; deinde vero nonnulla subiungamus, quae ad unius maxime Politici rationes accuratius definiendas pertineant.

Itaque res vitamque Platonis ab eo inde tempore contemplantes, quod post obitum Socratis est insequentum, facile animadvertemus, statim ab initio huius aetatis maximam ipsi allatam esse fortunae pariter atque studiorum vicissitudinem. Constat enim testimoniis veterum scriptorum bene multis iisque satis luculentis, philosophum Socrate ab Atheniensibus iniuste interempto una cum aliis Socraticis Megara ad Euclidem, familiae Megaricae principem eundemque Socratis quondam discipu-

lum, concessisse *). Ex quo tempore id sequutus consilii est, ut reliquam aetatem procul a republica haberet. Nam eam videbat per omnes vitae partes ingruisse morum nequitiam ac pravitatem, ut facile sibi persuaderet multo agere sapientius, qui Socratis exemplum sequenti privato otio degerent vitam ac sapientiae commendatione civibus suis prodesse studerent, quam qui vel eum salutis suae discrimine rempublicam tractare vellent adeoque publicorum scelerum administri existere **). Itaque tunc cum maxime opinor condere decrevit eam sapientiae disciplinam, quae quantum fieri posset gravissimis illis malis mederetur ac vindicatis veri et honesti rationibus verae utilitatis quam plurimum ad bonum publicum conferret. Nam tantum abest, ut cives suos atque patriam in his studiis suis neglexerit, ut usui esse civitati praeclearissimum sapientiae munus maximumque virtutis vel documentum vel officium putaverit ***). Ingentis operis, quod tunc primum videtur mente et cogitatione complexus esse, fundamenta quasi quaedam iacta sibi videbat per institutionem ac disciplinam Socraticam, qua per decem fere annos erat usus. Etsi enim iam mature etiam Heracliteorum ac fortasse Eleatarum sapientia erat imbutus †), tamen huius quidem notitia non tantum ipsi profuit, quantum ratio Socratica, qua una maxime ad notionum rimandarum diligentiam atque subtilitatem adsuefactus fuisse videtur. Nam huius ope quum iam adolescens eo esset perductus, ut quantum inter scientiae firmitatem atque opinionis levitatem et in-

*) V. Menag. ad *Diag. Laërt.* libr. II. §. 106. p. 124.

**) V. *Epist. Plat.* VII. p. 321. C. 325. C. sqq. 334. D. 320. A. coll. *De Rep.* VI. p. 496. A. — 497. A. *Apol. Soer.* p. 34. C. *Ciceron. Epist. ad Fam.* I. 9. De caussis, cur Plato sic sibi faciendum statuerit, copiose nuper exposuit Hermann. *Hist. Phil. Plat.* I. p. 35 sqq. A Socraticis maxime orta videtur nobilis illa veterum philosophorum controversia, qua disceptabatur, num sapienti gerenda respublica esset; de qua v. *Aristot. De Rep.* VII. 2. *Ciceron. De Rep.* I. 5. ibique Maium.

***) V. *Epist. Plat.* VII. p. 326. A. IX. p. 358. A. coll. *De Rep.* VI. p. 496. A.

†) De Eleatica disciplina non certo constat; sed Heracliteorum decreta ipsi iam mature innotuisse satis testatum habemus. V. Hermann. l. c. p. 46 sqq. coll. *Prolegom. nostris ad Plat. Cratyl.* p. 25 sqq.

constantiam interesset, facile sentiret, profecto etiam illud debuit sibi persuasisse, in sapientiae disciplina plurimum referre, ut spreto erroribus reiectaque opinionum levitate ad scientiae verae et nomine suo dignae constantiam perveniretur *). Quod quidem ita esse, nostro certe iudicio satis testantur dialogi illi more Socratico scripti, in quibus subtiles de vi et natura virtutis quaestiones ita instituuntur, ut deludantur gloriosi illi virtutis promissores, qui etsi eius disciplinam profitebantur, tamen vero minime perspecto totam referebant vel ad utilitatis vel ad propriae opinionis speciem atque probabilitatem. Habent enim hi libri omnes auctorem Platonem Socraticum, hoc est iuvenem, non Platonem aetate proVectum et iam interioribus philosophiae sacris initiatum **). Atque ab his de virtutis vi et natura quaestionibus profectus philosophus paulatim processit, opinor, ad ipsius scientiae eiusque fontium subtilem accuratamque considerationem. Nam quum verum sentiret una mente et ratione contineri, quae sola certam afferret scientiam, quaerere etiam instituit de veri iudicio, de quo quam variae essent atque multiplices philosophorum opiniones, certe cum non videtur praeterire potuisse, qui dudum Heracliteae doctrinae notitiam acceperat atque sophistarum, imprimis Protagorae, de his rebus cognoverat iudicia. Quamobrem nos quidem sic nobis persuasimus, ut ipsum, posteaquam vanos illos virtutis magistros ostendisset scientia plane carere, qua una tamen vera virtus absolveretur, ad eos confutandos putemus aggressum esse, qui scientiae vim naturamque vel in umbris vocabulorum vel in visis et opinionibus inesse volebant. Quod etsi

*) Vere Schleiermacherus, *Sämmtliche Werke*, dritte Abtheilg., Vol. IV. Fasc. I. p. 97. *Plato brachte die Idee des Erkennens weiter auf den Unterschied zwischen ἐπιστήμη und δόξα ἀληθῆς.* Id ipsum vero nos quidem initium fuisse censemus, unde profectus philosophus ulterius progredi coeperit.

**) Huius sententiae nostrae alibi propositae vehementer laetatur quod nuper gravissimum nacti sumus ad stipulatorem et assertorem, Car. Fr. Hermannum, qui eam in praeclearo opere *Historiae Philosophiae Platonicae* ita amplexus est, ut in paucissimis partibus a nobis dissentiat. A Schleiermacherso igitur, qui hos dialogos maioribus operibus tanquam appendicis loco adiunxit, plurimum hac in re dissentimus.

nemo quisquam veterum scriptorum perspicue testatus est, tamen ex ipsius operibus coniectura haud temeraria assequuti videmur *). Atque istud ipsum studiorum tanquam iter quum in eo esset ut ulterius persequeretur, casu infelici quidem, sed tamen ad sapientiae disciplinam peropportuno accidit, ut ei, sicuti antea dictum est, Socrate magistro interfecto Megara commigrandum videretur. Qua in urbe perquam est verisimile tantam ei oblatam esse de iis rebus, quas ad examen vocare animum induxerat, quaerendi disputandique opportunitatem, ut fieri non potuerit, quin ratio ac doctrina, quam sequebatur, brevi tempore ad maiorem quandam perfectionem absolutionemque perduceretur. Nam ut taceam de aliorum Socraticorum, qui eodem se contulerant, familiaritate, imprimis Euclides ceterique Megarici sermonibus suis id videntur effecisse, ut animum ad rerum gravissimarum pervestigationem appelleret **). Euclidem enim constat a Socratis, magistri sui, ratione ita deflexisse, ut sententiam Eleaticorum, imprimisque Parmenidis, quam de eo quod esset quodque unum veri cognitionem praerberet, susceperant, cum illa copulare et quasi miscere conatus sit. Hoc vero quum in se satis grave esset ac diligenti animadversione dignissimum videretur, tum aliud quid accessit, quod item singularem quandam novitatis gratiam haberet. Megarici enim, quo facilius vel sua ipsorum decreta defenderent vel aliorum sententias refutarent, etiam hac in parte Eleatas imitati, plurimum tribuerunt arti dialecticae, quam non modo ad certas quasdam leges adstrinxerunt, verum etiam argutis atque captiosis argumentationibus adhibuerunt, ut iam a scholae primordiis Eristicorum nomen acceperint. Sive igitur doctrinam eorum respicimus, sive consideramus deserendi viam et rationem, qua usi sunt, certe longe est verisimillimum, Platonem, tunc ipsum singulari quodam studio exquirendae veritatis incensum, quo tempore apud eos commoratus est, ad pervestigandos gravissimos philosophiae locos vehementer excitatum atque impulsum esse.

Atque hic nos videmus ad id pervenisse, cuius causa

*) V. Prolegg. ad Cratyl. p. 24 sqq. al.

**) Id sic factum esse iam Tennemannus *System. Phil. Plat.* Vol. I. p. 30. suspicatus est, cui assentitur Hermannus l. c. Vol. I. p. 46 sqq.

totam hanc narrationem exorsi sumus. Videmur enim non temere hariolari Platonem existimantes inde ab hoc ipso tempore eorum librorum, qui cum Politico arctiore quodam vinculo conuexi sunt, hoc est Theaeteti, Sophistae, Parmenidis, ipsiusque Politici scriptiorem instituisse. Quam quidem sententiam nostram ita illustrare et confirmare conabimur, ut ante omnia videamus, eoque reperiantur temporum vestigia his sermonibus impressa, unde id tuto concludere liceat. Ea vera in Theaeteto extant, ut nos quidem arbitramur, satis manifesta. Nam primum quidem quid tandem esse dicamus, cur sermo in hoc libro enarratus, quum non ita multo ante Socratis mortem Athenis habitus fingatur *), tamen Megaris in aedibus Euclidis Megarensis Terpsioni Megarensi atque Socratis quondam discipulo fidelissimo a servulo quodam recitetur? Enimvero ego si quid video, pertinet hoc unice eo, ut aliqua necessitudo significetur, quae ipsi Platoni cum Megaricis intercesserit. Quod si ita est, sponte consequitur, ut librum post Olymp. 95. a. 2. scriptum putari oporteat, quandoquidem Platonem ante id tempus aliquid commercii cum Megaricis habuisse nusquam testatum legimus. Atque ita praeter alios scitis etiam Fr. Astius De vita et scriptis Platonis p. 185., in eo tamen falsus magnopere, quod Theaetetum protenus Megaris a philosopho scriptum absolutumque esse statuit. Nimirum etiamsi philosophus iam tum, quum Megaris versaretur, talis descriptionis agitaverit consilium, quod sane perquam est verisimile, tamen absolutum tunc esse librum et in lucem publicam emissum nullo pacto concedimus. Quod cur ita existimemus, sponte ex iis apparebit, quae de his rebus porro exponenda sunt. Itaque ex ipso libri exordio nunc quidem hoc clarum et perspicuum esse putamus, scriptum eum esse post Olymp. 95. a. 2. Sed longius etiam progredimur. Nam quae in eo p. 142. A. memoratur pugna ad Corinthum, ea certe non potest ante Socratis obitum esse commissa, quandoquidem dialogus paullo ante Socratis mortem habitus fingitur. Itaque prorsus necesse est intelligatur illa, quam constat bello Corinthiaco Olymp. 96. a. 2. factam esse **). Idque tanto est verisimilius,

*) V. Theaet. p. 142. C.

***) V. Xenoph. Hellen. IV, 2, 8. Diodorus XIV, 83. Demosth. adv. Lept. §. 41.

quod ea ratione admissa colloquium non ita multo ante Socratis mortem Athenis habitum quattuor ferme annis post Megaris refertur, quum ille praeclari ingenii adolescens, Theaetetetus, ad Corinthum pugnasset atque gravi morbo esset correptus. Atque hinc consequens est, ut dialogus non potuerit ante Olymp. 96. a. 2. absolvi et ad exitum perducere.

Quibus ita fixis atque stabilitis videmur causam satis idoneam reperisse, quamobrem etiam Sophistam, Politicum, et quem Schleiermacherus miro iudicii errore pro opere paene rudi atque iuvenili habuit *) Parmenidem inde ab illo tempore scriptos esse putemus. Etenim tanta est horum librorum cum Theaeteto coniunctio, tanta necessitudo, ut nullo pacto temporibus multum diversis aut longo intervallo disinctis scripti editique videri debeant. Nam Sophista quidem postridie eius diei, quo Theaetetetus, peroratus esse fingitur **); Politicus porro eodem quo Sophista die habetur, ut huius memoria disputantibus adhuc recens sit atque illibata ***); Parmenides denique non modo in Theaeteto †) significatur, verum etiam in Politico et Sophista ††) satis aperte indicatur; nam plane nobis persuasum est, philosophi imaginem identidem in his sermonibus promissam in eo libro exhiberi, in quo scena dialogi repente mutata Parmenides, summus familiae Eleaticae magister, cum Socrate sapiente, sed eo adhuc iuvene, colloquens inducitur †††). Huc accedit, quod in

*) V. Opp. Plat. T. I. Vol. II. p. 89 sq. ed. 2.

**) V. Sophist. p. 216. A.

***)) V. Politic. p. 258. A. conf. p. 257. B. 284. B. 286. B. Omnino Politicus tam arcto vinculo cum Sophista copulatus est, ut uterque liber unum fere dialogum conficere videatur.

†) Theaet. p. 180., ubi Socrates E.: *Παρμενίδης δέ μοι φησεν τὸ τοῦ Ὀμήρου αἰδοῖός τε ἄμα δεινός τε συμπεροσέμειτα γὰρ δὴ τῷ ἀνδρὶ πάνυ νίος πάνυ προεβόηθη.* Quod plane sic in Parmenide fieri meminimus. Etiam in Sophista p. 217. C. Socrates narrat senem Parmenidem a se puero auditum esse disputantem, quod quidem pertinet eodem.

††) Politic. p. 257. A. *ἀπειλήσεις ταύτης τριτάτων (χαρῖν), ἐπειδὴν τὸν τε πολιτικὸν ἀειργάσωμαι σοὶ καὶ τὸν φιλόσοφον.* Ibid. p. 257. B. C. Sophist. p. 217. C. et p. 253. E. 254. B. *περὶ τοῦτου (τοῦ φιλοσόφου) καὶ τόξα ἐπισημώμεθα σαφέστερον, ἢν ἔτι βουλομένοις ἡμῖν ἢ, περὶ δὲ τοῦ σοφιστοῦ που δῆλον ὡς οὐκ ἀνεῖται, πρὶν ἢν ἰκανῶς αὐτὸν θεωρησώμεθα.*

†††) V. Prolegg. ad Sophist. p. 45 sqq., ubi de hac re copiose exposuimus.

his libris omnibus ea cernitur argumenti, de quo disse-
ratur, continuatio et quasi progressio, ut propemodum
pro uno eoque grandiore opere habendi sint: de qua re
postea dicitur explicatius, ubi quo artificio Politicus cum
ceteris tribus sermonibus iunctus copulatusque sit, docere
conabimur. Iam vero haec omnia, quum in eadem tem-
pora egregie conveniant, sicuti infra docebitur, aliis mi-
nus aut omnino non congruant, equis est quin ultro
fateatur, si non certum, at certe longe verisimillimum
esse, Sophistam, Politicum et vero etiam Parmenidem
non ita multo post Theaetetum vel litteris consignari vel
in publicam lucem emitti coepisse? Nobis quidem id
tam est verisimile, ut tantum non pro explorato haben-
dum ducamus. Quamquam hic magnopere cavendum est,
ne protenus omnes hos libros continuo tanquam agmine
foras prodiisse existimemus; in quem errorem incidit
Astius, qui in libro egregio De vita et scriptis Plato-
nis p. 53 sq. eos omnes editos esse statuit quo tempore
Plato habitaverit Megaris. Quod tantum abest ut credi-
bile sit, ut abhorreat ab omni verisimilitudine, siquidem
ipsorum ratio et argumentum luculenter evincit, philoso-
phum rerum in iis tractatarum disputationem non uno
velut ictu sed paulatim et post diuturniorem laborem
perfecisse, quamquam id continua quadam temporis serie
factum esse utique verisimile est. Nam primum quidem
Sophistae argumentum ut ita statuamus vehementer sua-
det; in quo libro et ars disserendi Megaricorum leniter
ridetur similique modo atque in Politico fit cum Socra-
tica disputandi methodo componitur*), et Eleatarum ac
Megaricorum ratio et disciplina ita examinatur, ut phi-
losophus suam ipsius sententiam prudenter correctam et
emendatam ad illam accommodasse videatur. Nam impu-
gnatur sententia Parmenidis, qui unum statuebat**);
refutatur doctrina Megaricorum, quandoquidem ideis,
quas illi in se absolutas volebant esse neque ullius com-
munionis capaces, etiam motus sive relatio vindicatur***);
denique ipsius Platonis doctrina consummatur ac perfici-
tur, quandoquidem docetur has ideas in se constantes
quidem, sed easdem vivas vegetesque scientiam omnem

*) V. Prolegg. nostra ad Sophist. p. 36.

***) V. ibid. p. 37 sq. 41 sqq.

****) V. ibid. p. 39 sqq.

cognitionemque veritatis efficere atque adeo non alias
esse quam humanae mentis notitias tanquam essentialae
omnis causas atque effectrices*). Quae omnia equis
est qui sine diuturniore harum rerum commentatione sic
disputari potuisse sibi persuadeat, praesertim quum Plato
ipse Eleaticis in multis doctrinae partibus plurimum con-
cesserit? Parmenides porro fere totus fundamentis do-
ctrinae Pythagoricae, eiusque interioris atque reconditio-
ris, superstructus est. Nam quae de eius, quod esse
dicitur, rationibus admirabili acumine ac sagacitate ex-
plicantur, ea quum primo aspectu Eleaticae sint origi-
nis, tamen ad ipsius Platonis sententiam exposita cum
Pythagoreorum de finito et infinito opinionibus ita co-
pulantur et in unum coniunguntur, ut hinc demum ple-
nam lucem suam mutuentur. Quocirca vere dixeris in
hoc opere doctrinam de ideis, in Sophista cum Megari-
corum ratione ac disciplina consociatam, denique etiam
cum Pythagoreorum ratione in unum coniungi ad eam-
que revocari**). Atque simile quiddam etiam de Politico
audemus pronuntiare, in quo libro et vir ille civilis sa-
pientiae tenax, qui instituitur, plane est Pythagoricus,
et alia non pauca reperiuntur, quae ex eodem manant
fonte; de qua re infra suo loco dicitur. Ex his igitur
recte videmur colligere hos libros nullo pacto potuisse a
Platone ante iter in Italiam inferiorem susceptum litteris
consignari, nedum in publicam lucem emitti. Etenim
constans est sane et multorum scriptorum testimoniis
confirmata antiquitatis fama, Platonem, aliquo tempore
Megaris transacto, ingenti quodam philosophiae studio
incensum quum alias terras lustrasse, unde se aliquid
ad veritatis disciplinam profecturum speraret, tum etiam
in Italiam inferiorem se contulisse, ut perdisceret sapien-
tiam Pythagoreorum***). Quod quis est quin fateatur
magno esse argumento, ipsum tunc sensisse, quam parva
et exilis esset, quam in patria sua hausisset, illius no-
titia? Pleniorum autem ipsum tunc demum accepisse

*) V. Prolegg. ad Sophist. p. 39 sqq.

***) V. Prolegg. ad Parmenid. Libr. I. cap. 4 sqq.

****) V. Ciceron. De Fin. V, 29. Tuscul. IV, 19. De Republ.
I, 10. Apulei. De Dogm. Plat. I, 1. p. 186. ed. Boech.
Diogen. Laert. III, §. 5. §. 6. ibique Menag. p. 139.
qui aliorum quoque testimonia attulit. Addimus Augu-
stin. De Civ. Dei VIII, 4. Contra Acad. III, 37.

eius notionem, nisi omnem antiquitatis auctoritatem evertere velimus, nullo modo dubitare poterimus. Nam inde ab illo tempore sese totum narratur dedisse Pythagoreorum studiis *); ab ea inde aetate dicitur libros Philolai studiose conquisitos multo aere sibi comparavisse **); inde etiam in scripta sua non pauca clam transtulisse fertur, quae Pythagoreis deberentur ***). Quae omnia nonne testantur clarissime iam a veteribus, ne dicam ab ipsius aequalibus, sagaciter fuisse animadversum, quid quantumque esset quod Pythagoreis acceptum retulisset? Nec vero vanam aut inanem esse hanc veterum scriptorum narrationem ipsi eius libri loquuntur, ex quibus, si modo ad eam rem attendas, passim quid rei sit cognoscere liceat. Ac si quis in coniectando audacior esse velit, haud sane inepte suspicetur eos etiam ipsos libros, de quibus nunc cum maxime quaerimus, ansam praebuisse calumniae, qua multa furtim sua fecisse arguebatur, quae propria essent Pythagoreorum. Insunt enim profecto in iis non pauca, quae quum sint Pythagorica, tamen sine ulla eius rei significatione callidissime cum reliquis contextantur. Quocirca nos quidem minime dubitamus sic statuere, ut Sophistam aliquo intervallo post Theaetetum scriptum existimemus, Politici vero atque Parmenidis originem ad ea tempora referamus, quibus Plato, sapientiae Pythagoricae sacris tandem aliquando initiatus, quantum lucri inde ad suam ipsius rationem ac disciplinam locupletandam consummandamque percipi posset, iam plane intelligebat ipsoque usu compertum habebat. Quamquam ne Theaetetum quidem atque Sophistam prius aut absolutos aut foras emissos esse credimus quam reliquos duos dialogos. Cuius sententiae nostrae causas et rationes paucis exposuisse iuvabit †). Repetitae vero eae sunt ex uno maxime Theaeteto. Quem librum etsi facile largimur iam inde ab eo tempore coeptum esse

*) V. Cicero De Rep. l. c. Apulei. l. c. al.

***) V. Gellius N. A. III, 17. Cicero l. c. Diog. Laërt. III, 9. 8. 17. Iamblich. Vit. Pyth. XXXI.

****) V. Gellius l. c. Athenaeus XI, 15. Euseb. Praep. Evang. X. 3.

†) Retractare enim consultum duximus, quae scripsimus Prolegg. ad Theaetet. p. 10. ubi legendum: *Circiter Olymp. 96. 3. vel 4. scriptum, sed aliquanto post evulgatum esse.*

scribi, quod Plato Megaris transegit, propterea quod argumentum eius quasi naturali quadam cognatione coniunctum est cum quaestionibus superiore tempore ab eo institutis, tamen postea demum ad finem perductum esse duobus argumentis evincitur. Nam primum quidem Sophistae et Politici arctior est cum eo copulatio, quam ut vel absolutionis vel editionis tempus multum diversum esse potuerit; deinde prius exordium Theaeteti, ut iam antea significavimus, eiusmodi est, ut postero demum tempore adiectum putari oporteat, quo tempore Plato eos libros, qui Megaricorum rationem ac disciplinam accuratius tractant, vel absolvisset vel foras emittere constitisset. Certo quidem illud sic tantum videtur idoneam habere causam atque rationem, si tanquam iudicium facere putetur eius coniunctionis, qua Theaetetus cum iis continetur libris, in quibus ratio et doctrina Megaricorum sub examen vocatur, quale in Theaeteto p. 183. E. urbane detrectatur, sitque simul quasi monumentum quoddam temporis aliquando Megaris cum veteribus amicis familiariter transacti; sin minus, quoniam cum ipso libri argumento nullam omnino coniunctionem habet ac necessitudinem, moleste redundare ac praeter artis leges annexum esse putandum erit; quod tamen nemo temere sic statuet, qui quanta etiam his in rebus adornandis Platonicum ingenii solertia sit, penitus intellexerit *). Quodsi autem de Theaeteto recte ita statuitur, quid de Sophista inde consequatur, sponte intelligas. Apparet enim ne huic quidem potuisse in lucem prodire solitariam.

Iam vero his ita exploratis facile liceret definire, quo tempore hi libri omnes et litteris perscripti et editioni destinati fuerint, si quo ordine Plato Aegyptum, Cyrenen, Italiam et Siciliam lustraverit, satis certo testatum haberemus. Manifestum est enim eos a Platone tum demum potuisse perfici atque editioni parari, quum audivisset Pythagoreos. Sed tanta est veterum scriptorum de ea re dissensio, ut alii eum primum Italiam, deinde Aegyptum ac Cyrenen, alii primum Aegyptum et Cyrenen ac deinde Italiam, alii inprimisque Apuleius

*) Exposuimus de his rebus uberius in Programmata: *De argumento et artificio Theaeteti ex temporum rationibus iudicando.* Lipsiae 1837. ubi v. inprimis p. 15. aqq.

primum Italiam, deinde Cyrenen et Aegyptum, ac tum iterum Italiam et Siciliam adire iubeant *). Quamobrem hic illud unum tenendum putamus, scriptionem horum operum, excepto Theaeteto, quem philosophus iam antea videtur commentatus esse, in illud incidere tempus, quo Plato relictis Megaris exteras terras inprimisque magnam Graeciam invisere coepit. Sed haec quum accuratius desiniri vix possint, tamen tempus, quo opera ista omnia in publicam lucem prodierunt, non tantis tenebris obvolutum censemus, ut certius indicari nequeat. Magnum enim momentum ad huius rei quaestionem ulterius profligandam illud facit, quod quotquot scriptores de primis istis Platonis itineribus aliquid memoriae prodiderunt, ii omnes de eo consentiunt, fuisse ea continuo ordine suscepta neque ulla in patriam reditione interrupta. Nam quod Diogenes Laërtius III, 8. Aristoxenum refert memoriae prodidisse Platonem ter militasse, primum in Tanagram, secundo in Corinthum, tertio ad Delium, ubi victoria sit potitus; quodque Aelianus Varr. Hist. I. VII. c. 14, similiter scribit: *Σωζράτης δὲ καταγενοῦσα τοῖς Ἰλλύτων δὲ καὶ αὐτὸς εἰς Τανάγραν καὶ εἰς Κόρινθον*; ea narratio profecto ita comparata est, ut errore nata atque fide prorsus indigna iudicari debeat. Nam proelium ad Tanagram sive intelligas illud, de quo Thucyd. I. c. 108 sqq. narrat, sive id, de quo idem scriptor libri III. c. 91. refert; neutri Plato interesse potuit, quoniam Olymp. 80. a. 4., in quem annum fere illud incidit, nondum in dias luminis auras prodierat; Olymp. 88. a. 3. autem, quo tempore commissum est alterum, paene adhuc fuit quadrimus. Quocirca hic error aliquis lateat prorsus necesse est. Neque aliter sentiendum est de eo, quod apud Delium stipendia fecisse narratur. Nam pugna ad Delium incidit in Olymp. 89. a. 1. Reliqua igitur una pugna ad Corinthum est. Quae certe non potest esse eadem, quam

*) Exposuerunt de hac narrationum discrepantia Tennemannus System. Phil. Plat. T. I. p. 30 sqq. Astius De Vita et Scriptis Plat. p. 23 sqq. Hermann. Histor. Philos. Plat. V. I. p. 52 sqq. Nobis quid videatur, in Praefat. ad Opp. Plat. Vol. I. p. XVIII sqq. professi sumus. Apuleium enim sequi consultum ducimus, quippe qui sua hausit ex commentariis Speusippi de vita Platonis, hoc est, ex fontibus limpidissimis.

antea vidimus Olymp. 96. a. 2. commissam esse. Nam res si sic haberet, vix silentio id transmissuri fuissent, qui de Platonis itineribus per illud tempus factis copiosius exposuerunt. Accedit quod errore manifesto una cum ceteris pugnis memoratur, quod iam per se fraudis movet suspicionem. Quod miramur sane praeteriisse Clintonem Platonis militiam in Tabulis chronologicis P. 100. ed. Krüger. sine ulla dubitatione ad hunc annum referentem. Quocirca aliud fortasse ignobilius proelium ad Corinthum factum intelligi liceat, quod in Platonis inciderit inventum. At primum quidem quodnam illud sit, vix reperias: deinde huic commento quodammodo officit ipse Aelianus Varr. Hist. I. III. c. 24., qui narrat Platonem iuvenem, quum aliquando arma ad faciendam militiam sibi emisset, a Socrate deterritum animo mutato sese totum ad philosophiae studia convertisse. Ex quo liquidum est philosophum non potuisse postea demum stipendia mereri voluisse, quum sese iam totum philosophiae studiis dedisset. Quae si vera sunt, facile suspiceris Platonem fecisse quidem aliquando stipendia; id enim etiam ex Diogen. Laert. III, 24. perspicuum est; sed fecisse iuvenem aetatis militaris initio, tempore nobis ignoto planeque incerto; narrationem autem illam natam esse ex iis, quae de Socrate, Xenophonte, aliisque philosophis militia claris memoriae prodita essent. Nisi forte suspicari malueris alium quendam Platonem cum philosopho nostro temere esse permutatum. Nam extitisse non paucos eius nominis homines claros atque adeo philosophos, planissime evincunt quae exposuerunt Ionsius De Scriptoribus Histor. Philos. libr. I. c. 11. §. 3. et Fabricius Biblioth. Gr. libr. III. c. 1. Sed quidquid rei est, illud quidem pro certo et explorato habemus, quod iudicavit etiam Perizonius ad Aelian. Varr. Hist. VII, 14., totam istam narrationem splendido niti mendacio aut temeraria fraude et errore natam esse. Manet igitur certum et indubium, quod supra diximus, Platonem, ubi semel peregrinationes illas, de quibus loquimur, suscepisset, per longius temporis spatium ita patria abfuisse, ut nunquam in eam vel ad breve tempus reverterit. Ex quo consequens esse putamus, ut nec libros istos, de quorum originibus quaerimus, ante reditum in patriam foras dederit. Etenim cur tandem ea ederet, quum patria paene exul abesset? aut cur publicaret, cum omni fere cum civibus suis commercio es-

set interclusus? aut quam ob causam, dum quaerebat unde ad sapientiae disciplinam proficeret, eorum editionem festinaret? Nimirum res nostro quidem iudicio sic se habet. Elaboravit philosophus haec scripta omnia quo tempore peregre aberat, foras emissurus quum primum ita ferret occasio, ideoque redux in patriam eadem secum attulit iam prope perfecta et absoluta, ut ea statim post adventum suum posset cum civibus suis communicare. Atque hinc verisimiliter sane conicere licet, quo tempore tandem in lucem publicam sint emissa.

Sed hoc loco aliud quid nobis exponendum videmus, priusquam ad istud ipsum accuratius indagandum progrediamur. Dubitare enim aliquis possit, num Plato revera haec opera ante reditum in patriam ex primo itinere confecerit et paullo post, sicuti nostra fert opinio, in lucem emisit; utrumque enim item posteriore demum aetate ab eo fieri potuisse. Quae quidem dubitatio quo removeatur, id agendum est, ut etiam illum temporis terminum certius constituamus, quo scriptio pariter atque editio eorum veluti ex altera parte circumscribatur. Et hic quidem plurimum momenti illud facit, quod argumentum horum librorum ad illa tempora, quorum iudicia in iis reperiuntur, mire profecto congruit, ad alia tempora non item. Nam ut pauca tantum memoremus, num tandem verisimile putabimus, Platonem exordium illud Theaeteti multo demum tempore post otium illud suum Megarense conscripsisse? num eum Eleaticorum et Megaricorum doctrinam pariter atque disserendi consuetudinem censebimus tum demum taxavisse, explorasse, ad suam denique rationem correxisse, quum iam plurimorum annorum spatium effluxisset, ex quo eam cognovisset accuratius? num quae a Pythagoreis acceperat, diuturno silentio premere voluisse videri debebit, quum eo potissimum consilio ad illos profectus esse dicatur, ut eorum inventa pernosceret atque inde suam rationem ac disciplinam quantum fieri posset locupletaret? Et nonne quaestiones illae de scientiae causis et fontibus, de idearum vi et natura, de arte dialectica, de rerum publicarum gubernatione, de veri philosophi dignitate, in Theaeteto, Sophista, Politico, Parmenide institutae, vel maxime eum decent, qui miseram patriae conditionem pertaesus sese totum philosophiae studiis dedere constituerat? nonne optime conveniunt in eum, qui, relicta disciplina Socratica, iam suo Marte id agere decreverat,

ut et veritatis fontes subtilius indagaret et philosophiae dignitatem vimque salutarem maximam esse demonstraret? nonne propriae quasi eius videri debent, quem tunc novimus cum Megaricis et Pythagoreis familiariter versatum esse eoque ad harum maxime rerum commentationem deduci debuisse? Enimvero sunt haec omnia certe eiusmodi, ut, si non certum, at tamen longe verisimilimum reddant quod nobis probari antea significavimus. Iam vero quid tandem de editione illorum librorum, antea si non plane absolutorum, certe tamen consignatorum atque litteris perscriptorum, censebimus? putabimusne eam a philosopho, posteaquam in patriam rediisset, diu esse procrastinatam aut in multos annos dilatam? Nimirum id nostra quidem sententia sic tantum liceret suspicari, si eius nihil interfuisse constaret, utrum studiorum suorum fructus non ita multo post reditum suum an tempore aliquanto posteriore divulgarentur. Nunc secus fuisse res ipsa indicat. Nam magnopere profecto pro sua rerum conditione debuit optare, ut quam primum civibus suis palam faceret, quantum per longum illud temporis spatium, quo patria abfuerat, in sapientiae studiis profecisset. Quamobrem nos quidem arbitramur, eum temporum opportunitate non praetermissa, quum primum in patriam rediisset, foras dedisse quae per itinerum tempora de rebus ad philosophiam pertinentibus commentatus erat. Atque id ipsum etiam de Politico sic statuimus. Quem quod Schleiermacher *) et Car. Fr. Hermannus **) longo post Sophistam intervallo scriptum editumque voluerunt, videntur illi nec satis reputavisse, quo vinculo hic dialogus cum ceteris, quos saepe diximus, dialogis cohaereat, neque diligenter attendisse illud, quod sane observatione dignissimum fuit, scriptum esse librum quo tempore Plato iam pleniorum accuratioremque Pythagoricae sapientiae notitiam accepisset. Nam his animadversis profecto facillime intelligitur, qui fiat, ut in eo multa vel attingantur vel exponantur atque illustrentur, quae in Philebo, Timaeo, Republica, hoc est libris aliquanto post scriptis, copiosius explicata sunt, neque ulla nos coget necessitas, ut eum ab societate illorum librorum segregemus ac divellamus,

*) Opp. Plat. Germ. V. II. P. II. p. 251.

**) Histor. Phil. Plat. V. I. p. 501 et 502.

quibus ipse Plato cum adiunctum esse voluit *). Huc accedit aliud quid, quod nostram de his rebus opinionem non mediocriter confirmat. Nam absolutionem editionemque horum operum omnium non potuisse a Platone diu differri et procrastinari, etiam ex eo non inepte concludere videmur, quod non ita multo post reditum in patriam, suscepto in Academia docendi munere, nisi fallit coniectura, dialogum illum, Phaedri nomine inscriptum, tanquam disciplinae suae atque institutionis praenuncium quandam in publicum emisit **), id quod factum est circiter Olymp. 98. a. 4. ***); quodque inde ab hoc temporis spatio, missa iam Eleatica ista disserendi methodo, ad cuius exemplum sermonem gravibus de causis in Sophista, Politico ac Parmenide attemperaverat, rursus revertit ad Socraticam illam dicendi scribendique elegantiam et ubertatem, quam in Phaedro, Symposio, Republica, aliis libris praestantissimis, summa cum voluptate admiramur.

Atque hic tandem eorum, quae hactenus disputavimus, quasi summam facere licebit. Videmur enim disputatione nostra certe effecisse hoc, ut libri illi omnes, de quibus agitur, inde ab Olymp. 96. a. 2. usque ad Platonis in patriam reditum litteris perscripti, ante Olymp. 98. a. 3. vel 4. autem posteaquam redux in patriam factus erat, in publicam lucem emissi esse existimandi sint. Quod si igitur accuratius definiiri poterit, quo anno philosophus Athenas redierit, his rebus facile apparet lucem affusum iri etiam multo clariorem. Quocirca age experiamur an de his aliquid extricare possimus. Fiet autem id commodissime sic, ut colligamus in unum, quae de Platonis temporibus sparsim memoriae prodita sunt. Constat igitur testimoniis scriptorum veterum gravissimis Platonem Olymp. 95. a. 2. sive anno 399 †) ante aer. Chr.

*) Pythagoricae rationis vestigia in Politico ac Parmenide expressa Hermannum omnino videntur praeterisse; alioquin certe p. 501. et p. 505 sqq. de his libris aliter erat indicaturus.

**) Assentitur nobis de his rebus C. Fr. Hermannus l. c. p. 123, ann. 176. et p. 514. id quod non sine magna laetitia intelleximus.

***) V. Prolegg. nostra ad Phaedrum, et ad Symposium p. 39. ed. 2.

†) In temporum notatione placuit Clintonis rationes sequi, quod hic monuisse non erit inutile.

discessisse Megara: quo tempore secundum Hermodorum apud Diogenem Laërt. III, 6. 28. viginti annos, secundum alios fere triginta annos natus fuit. Posteriorem sententiam verisimiliorem esse, non infitiabuntur qui locupletissimos auctores meminerint philosophum narrare Olymp. 87. a. 3. sive anno 429 ante aer. Christ. natum esse *). Iam vero Epistol. Plat. VII. p. 324. A. circiter quadraginta annos natus Syracusas dicitur pervenisse. Quod si ita est, factum sit prorsus necesse est Olymp. 97. a. 4. sive anno 389. ante aer. Christ. Atque id unice verum videtur Corsinio in Gorii Symbolis Litter. Vol. VI. p. 97 sqq. Unde vir doctus locum Ciceronis in Cat. mai. c. XII. emendandum censet. Quod enim ibi legitur: *quem (Platonem) Tarentum venisse L. Camillo, Appio Claudio coss. reperio*, id sic refingi iubet: *quem Tarentum venisse L. Aemilio et Appio Cornelio tribunis (h. e. M. Furio Camillo dictatore) et abisse L. Camillo et Appio Claudio coss. reperio*. Et certe istud L. Aemilio etiam codicum quorundam testimoniis confirmatur. Sed de reliquis vix cum viro docto consentias, quandoquidem Plato non anno U. C. 404. sive 350. ante aer. Christ., h. e. Olymp. 107. a. 3. obiisse dicitur, quo anno secundum Pighium Annal. Rom. T. I. p. 249. Lucius Camillus et Appius Claudius consulatum gesserunt, sed potius anno aetatis octogesimo primo, hoc est Olymp. 108. a. 2. sive anno 347. ante aer. Chr. vita defunctus esse. Quamobrem locus fortasse leniore mutatione refingendus erit. Sed hoc in medio relinquamus. Venit igitur Plato, si qua ceteris testibus fides est, Syracusas Olymp. 97. a. 4. sive 389. a. Chr. Ubi quam diu commoratus sit, nemo certius testatus est. Verisimillimum tamen putamus eum haud ita diu ibi permansisse, quandoquidem Dionysius statim ut advenerat ferre non potuit eam, qua utebatur, oris libertatem **). Quocirca plerique statuunt ipsum eodem anno, quo venerat Syracusas, rursus in patriam rediisse. Ac sane pertinere huc videatur illud, quod Eusebius Chron. ad Olymp. 97. a. 4. annotavit: „*Plato philosophus agnoscitur*,” nisi id pro-

*) V. Menag. ad Diog. Laert. III, 3. p. 136. Meiners Histor. Artium ac Doctrinar. Graec. Vol. II. p. 684. Hermann. Histor. Philos. Plat. V. I. p. 86.

**) V. Plutarch. Vit. Dion. c. 5. p. 264. ed. Reisk., qui omnium uberime de his rebus exposuit.

babilius ad eius in Sicilia adventum referatur aut alia nitatur temporum computatione. Quamobrem alia via ingredienda est ad inveniendum id, quod quaerimus. Optimum factum autem, quod memoriae proditum est, quam fortunam philosophus Syracensis revertens expertus sit. Plutarchus enim Vit. Dion. c. 5. p. 265. ed. Reisk.: *αἱ μὲν οὖν περὶ τὸν Πλάτωνα τοῦτο τέλος ᾤοντο τῆς ὀργῆς γεγονέναι, καὶ τὸν Πλάτωνα σπεύδοντα συνεξέπειπον ἐπὶ τριήρους, ἢ Πόλλιν ἐκόμιζεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, τὸν Σπαρτιάτην. ὁ δὲ Διονύσιος κόρυρα τοῦ Πόλλιδος ἐποιήσατο δέξασθαι, μάλιστα μὲν ἀποκτείναι τὸν ἄνδρα κατὰ πλοῦν, εἰ δὲ μή, πάντος ἀποδοῦναι βλαβήσεσθαι γὰρ οὐδέν, ἀλλ' εὐδαμονήσειν ὁμοίως, δίκαιον ὄντα, κἂν δοῦλος γένηται, διὸ καὶ λέγεται Πόλλης εἰς Αἴγιναν γέρον ἀποδοῦναι Πλάτωνα, πώλεμον πρὸς Ἀθηναίους ὄντος αὐτοῖς, καὶ ψηφισμάτος, ὅπως ὁ ληφθεὶς Ἀθηναίων ἐν Αἴγινῃ πιπράσκηται.* Similia vel potius eadem fere narrant vel attingunt Diodor. Sic. XV, 7. Laetantius De falsa sapientia III, 25. Cornel. Nep. Vit. Dion. c. 2. Diogen. L. III, 18 — 21. coll. II, 86. Aristides Orat. Platon. Tom. II. p. 304 sqq. ed. Dindorf. Plut. De exil. p. 603. B. Macrob. Saturn. I, 11. Horum nonnullis testibus Anniceris, hospes Cyrenaeus, Platonem viginti vel triginta minis redemit et in libertatem vindicavit. De Aeginetarum psephismate Diogen. Laert. III, 19. scribit: *τὸν πρῶτον ἐπιβάντα Ἀθηναίων τὴν νῆσον ἀκριτον ἀποδνήσκειν.* Iam vero de illis Aeginetarum cum Atheniensibus dissensionibus atque bellis copiose exposuit Xenophon. Histor. Graec. libr. V. c. 1. inde a §. 1. usque ad §. 21. Ubi quae narrantur, ea prudenter Dodwellus ad Olymp. 98. (I. retulit. Proxime enim ante pacem Antalcideam evenerunt, quam Olymp. 98. anno 2. compositam esse optimorum auctorum sententia est *). Ex quo quid consequatur, sponte apparet. Rediit enim Plato in patriam suam Olymp. 98. anno 1. sive 388. ante aer. Christ. Atque hoc si ita evenit, quid de tempore, quo quattuor isti libri, quos

* V. Corsini Fast. Att. III. p. 293. Manso Spart. III, 2. p. 204. Clinton. Tabul. Chronol. p. 110. ed. Krüg. Fallitur igitur magnopere Müllerus Aeginet. p. 190. qui a Diodoro in errorem inductus bellum Aeginetarum cum Atheniensibus ad Olymp. 98. ann. 4. retulit.

saepe diximus, vel scripti vel editi sint, existimari debeat, iam tandem certius videtur definiri posse. Nam scripti sunt atque litteris exarati intra Olymp. 95. ann. 2. aut 96. ann. 2. atque Olymp. 98. ann. 1. sive intra annum 399. atque 388. a. aer. Chr., foras autem statim post Olymp. 98. ann. 1. prodierunt fortasse magis tum perpolitum et prorsus eliminatum. Ex quo tempore quoniam Plato de scholis in Academia habendis cogitavit, Phaedrum et Symposium commentatus est, quos libros antea significavimus post Olymp. 98. 2. vel 3. in publicam lucem prodisse, quo tempore philosophus publice docendi munus in se suscepisse videtur.

Atque haec quidem generatim et communiter de illis libris omnibus, quos eo temporis spatio a Platone scriptos ac foras datos esse suspicari liceat. Sequitur ut separatim de Politico dicendum sit, quem eidem tempore assignavimus. Duae autem res hic discutiendae veniunt. Nam primum ex temporum rationibus declarandum videtur, ob quamnam causam philosophus istud potissimum argumentum sibi tractandum sumserit; deinde videndum, cur hunc sermonem, qui in longe alia re illustranda versatur quam quae in Theaeteto, Sophista et Parmenide tractatur, cum his ipsis operibus arctius coniungendum existimaverit. Quibus explicatis futurum esse speramus, ut quae antea de temporibus, quibus hi libri litteris mandati sint, disputavimus, certioribus etiam argumentis confirmetur.

Et de argumento quidem Politici si quaeritur, nos certe in ea sumus opinione, ut eadem illa tempora, quae philosopho de veritatis et cognitionis natura atque causis disserendi occasionem dedissent, ipsi etiam eam opportunitatem et paene necessitatem attulisse existimemus, ut de verae artis civilis dignitate ac praestantia exponeret, et vero etiam ostenderet, quantum ea ab vulgari ista reipublicae gerendae ratione discreparet, quae solo usu nulla ratione collecto contineretur. Reliquerat enim, sicuti antea dictum est, post obitum Socratis patriam suam eo consilio, ut sese totum philosophiae studiis dederet neque unquam attingeret rempublicam; iam satis diu apud externos erat versatus rerum patriarum, ut quidem videbatur, prorsus incuriosus; denique nec unquam futurum esse sperari poterat, ut reipublicae consilio atque opera sua rursus prodesse vellet, quandoquidem apud

se constituerat etiam postero tempore cum vitae cursum tenere, ut discendo potius atque docendo quam publica munera administrando virtutis aliquam laudem quaereret. Hoc vero consilium suum animo praevidebat, opinor, non esse defuturos qui maligne carperent et calumniarentur aut certe non ex aequo iudicarent. Quid igitur eum tunc fecisse existimabimus? Nimirum fecit id, quod tam excelsi animi viro longe fuit dignissimum, hoc est, factorum suorum atque consiliorum rationem ita reddere constituit, ut non tam suam ipsius quam sapientiae et virtutis causam egisse videretur. Atque hoc ut ita faceret, etiam illud putamus effecisse, quod posteaquam in Italiam pervenit, quid Pythagorei de istiusmodi rebus sentirent, accuratius cognovisse videtur. Quorum sententiam quum videret esse tam praeclaram atque magnificam, ut ad eas, quas ipse dudum de civili prudentia et civitatum gubernatione suscepisset, opiniones vel stabilendas atque confirmandas vel etiam emendandas plurimum conduceret, confidentius etiam atque alacrius opus istud aggressus est, ad quod suscipiendum ipsa tempora gravissime cohortari videbantur *). Ostendit igitur civibus suis, quos iam alio tempore in Menone, Gorgia, Protagora, aliis libris, admonuerat, quanti aestimanda esset quae vulgo iactaretur virtus civilis, his igitur nunc tandem ostendit perfecti illius civitatum rectoris speciem et imaginem, qualem ipse mente et animo informasset; descripsit item eos, qui quum temerario cum fastu prudentiae civilis laudem praeter ceteros affectarent, tamen optimo illi et perfecto reipublicae gubernatori, hoc est, philosopho in vitae communis actione constituto, tanto intervallo essent postponendi, ut nihil nisi vani quidam et inepti eius imitatores iudicari deberent; exposuit porro et in illustri luce collocavit earum rerum publicarum, quibus Graecia utebatur, fortunam et conditionem, et quibus eae malis premerentur quamque longe ab optima civitatis laude abessent, summa orationis libertate demonstravit; denique veram rectamque civitatis administrandae rationem docuit esse unam illam, quae ex ingenio atque animo regis aut principis vera sapientia re-

*) Platonem per Pythagoreos rursus ad rerum civilium considerationem permotum esse verissime disputat Hermannus *Histor. Philos. Plat.* I. p. 60 sqq.

ferto tanquam ex fonte ac principio proficisceretur neque ex incertis suspenderetur opinionibus. Haec igitur atque alia id genus, de quibus in Politico explicatur, nonne apertum est peropportune a philosopho tum temporis esse excogitata atque litteris perscripta, quum vitatis negotiorum publicorum tempestatibus sese tanquam in portum philosophiae contulisset atque porro ita vivere constituisset, ut etiam aliquando redire in patriam factus unice philosophiae studiis vacaret eoque ipso usui civitati esset? Enimvero nos quidem totius vitae cursum ab eo emensum ordine deinceps mentis tanquam oculis lustrantes fatemur nullam eius invenisse partem, quae ad harum rerum explicationem atque commentationem magis fuerit opportuna. Quocirca plane nobis persuasimus etiam rerum in Politico tractatarum delectum eum esse, qui optime in illa tempora conveniat, quibus hunc librum pariter atque Sophistam et Parmenidem litteris consignatum esse suspicati sumus.

Atque hic progredi statim licebit ad alterum illud, de quo nos exposituros esse antea professi sumus. Quarendum est enim, cur Plato Politicum suum cum Theaeteto, Sophista et Parmenide ita coagmentaverit, ut hi libri omnes tantum non unum corpus efficiant. Cuius rei causas si item in temporum illorum rationibus positas invenerimus, novum sane habebimus argumentum, quo sententiae antea propositae fides et auctoritas stabilietur.

Quodsi igitur quaerimus, quonam vinculo Politicus cum tribus reliquis illis sermonibus colligatus sit, certe manifestum esse oportet omnibus, non tam necessariam quam fortuitam esse eius cum his operibus copulationem. Nam si verum fateri volumus, externa tantum forma ac specie cum illis continetur, quandoquidem in eo idem ille hospes Eleaticus, qui in Sophista loquens inductus est, etiam de rebus ad civitatem pertinentibus disputat atque eadem in disserendo ratione utitur, quam adhibuerat ad indagandum sophistam; sed primaria quaestio in eo instituta cum argumento Theaeteti, Sophistae et Parmenidis adeo nullam habet necessitudinem et coniunctionem, ut plane ab eo seiuncta et diversa videatur. Nam rex ille, qui perfecta rerum civilium scientia ornatur, etsi non est alius nisi philosophus in media republica constitutus, tamen quatenus in eius sapientiae societatem

et communionem perveniat, de qua in reliquis tribus sermonibus explicatur, ne per transennam quidem ostenditur. Quod quo facilius intelligatur revera ita esse, age paucis videamus, quo artificio philosophus haec opera ita inter se iunxerit et copulaverit, ut una sermonis perpetuitate cohaerere videantur.

Itaque in Theaeteto constat eorum sententiam examinari et redargui, qui veritatis scientiam et cognitionem in visis atque rectis opinionibus volebant inesse. Quod quidem fit ab ipso Socrate, qui coram Theodoro Cyrenaico aliisque familiaribus cum Theaeteto, praeclari ingenii adolescente, de his rebus sic disputat, ut simul Socraticae illius obstetricandi artis tanquam specimen quoddam exhibeatur, unde eius virtus ac praestantia tota cognoscatur. Id quod non temere negligi oportuisse mox intelligetur. Verum sermo ille quum olim Athenis habitus sit, tamen Megaris in aedibus Euclidis Terpsioni Megarensi recitatur; quo elegantissime significatur earum rerum disputationem, quae iam suscipiatur, pertinere utique ad philosophos Megaricos, adeoque inde ab eo tempore esse institutam, quo philosophus apud illos olim fuerit commoratus. Iam vero in Sophista, qui postridie habitus fingitur, transitur ad Eleaticos. Examinatur enim et refellitur eorum de Uno sive de Ente sententia, idque prudenter instituitur sic, ut simul doceatur, qua necessitudine et coniunctione id quod sit cum eo contineatur, quod non esse iudicari oporteat. Sed de hoc argumento non iam Socrates disputat, verum hospes aliquis Eleaticus a Theodoro in hesternorum familiarium societatem adductus. Nimirum is, veri reperiendi studio mirifice inflammatus et quaerendi subtilitati scholae more et instituto egregie adsuefactus, denique paene invitatus eo defertur, ut Megaricorum sententiam ad Platonis rationem deflectat et repudiata Parmenidis id quod non esset plane tollentis opinione eius quod sit quodque non sit necessitudinem felicissime patefaciat. Sed hoc quum sit principale libri argumentum, tamen disputationis exordium ab alia quadam re ducitur, primo quidem ad spectu multum diversa, sed revera cum illo coniunctissima. Etenim hospes Eleaticus, ubi per Theodorum praesentibus amicis satis est commendatus eosque humaniter salutavit, protenus ab his interrogatur, quomodo Eleatici sophistam, virum civilem, hoc est rerum civilium scientia instructum, atque philosophum distinguant ac secernant;

vulgo enim eos omnes pessimo errore inter ipsos confundi, siquidem ita accidat, ut philosophi modo pro sophistis, modo pro viris rerum publicarum gnaris et peritis, modo etiam pro insanis habeantur. Itaque ille primum sophistam investigandum statuit. Hoc vero faciens in eam pedetentim devenit sententiam, ut propriam eius tanquam sedem ac domicilium in eo quaeri oportere existimet, quod non esse dicatur. Quo facto progreditur ad exquirendam naturam rationemque eius, quod esse et non esse dicimus: quam dum explorat sic, ut id ipsum maxime spectasse videatur, eadem opera etiam sophistae indolem et naturam reperit, eoque modo id, de quo antea erat dubitatum, felici denique successu in clarissima luce collocat. Ita igitur in hoc dialogo et sophista investigatur, et non entis cum ente cognatio sic ostenditur, ut veritatis cognitionem ex utroque esse suspensam arte prorsus divina doceatur. Sed quum in harum rerum explicatione admirabilis cernatur Platonis solertia, tum non minor ars elucet in disserendi forma et ratione, quam illi adhibuit. Nam quemadmodum in Theaeteto Socraticae dialecticae tanquam speciem quandam depinxisse videtur, ita in Sophista Eleatam induxit eum, qui acumini dialectico tribuat plurimum ac scholae suae mori et consuetudini in disserendo ita obtemperet, ut eius tanquam imago quaedam ob oculos ponatur. Quamquam id ea sit moderatione, ut moris alieni imitatio argumenti explicationi nihil officiat. Sed de his infra dicemus explicatius: nunc rem paucis significasse satis erit. Pergimus ad eum dialogum, qui Sophistam ordine deinceps excipit, hoc est, ad Politicum. Etenim sophista invento Eleates protenus accedit ad informandum virum vera rerum civilium scientia pollentem. Nec tamen iam in eo uno describendo subsistit, verum etiam illos depingit, qui artis civilis laudem temere aucupabantur. Quocirca hoc libro perfecti et consummati viri civilis species et imago proponitur, sed eidem etiam illi, qui temerario vulgi iudicio rerum civilium prudentia excellere putabantur, tanquam ex adversa parte opponuntur. Quod quae ratione fiat, infra declarabitur. Hoc loco id unum admonuisse iuvabit, perfectum illum optimumque civitatis gubernatorem, si rem accurate aestimes, non esse alium nisi ipsum philosophum sive sapientem in vitae publicae actione constitutum et civitatis factum gubernatorem, ut Plato iam in Politico philosophum ex parte depinxisset.

existimandus sit. Verum fluxit eum in hoc libro talem, qui non iam eius, quod est vel non est, vim naturamque perscrutetur, sed qui mente sua atque ratione tantum valeat, ut ipse solus pro communi quadam totius reipublicae lege habendus sit. Quare facile intelligitur in his exponendis nullam habitam esse rationem eorum, quae in Theaeteto ac Sophista de humanae mentis cognitione eiusque principiis ac fontibus disputata sunt. Sed haec sicuti penitus videntur neglecta, ut per totum Politicum nusquam respiciantur; ita disserendi ratio in Sophista usurpata hic veluti consummatur ac perficitur. Nam eadem prorsus hic methodus dialectica atque illic dominatur; sed ita dominatur, ut subinde etiam corrigatur ab Eleata atque emendetur. Quamobrem apertum est philosophum id egisse, ut utrumque dialogum etiam communis dialecticae vinculo arctius coniungeret ac veluti constringeret. Atque haec quidem de Sophistae et Politici nexu et coniunctione. Reliquum fuit denique, ut etiam philosophi species et imago perficienda esset, cuius spes in Sophista et Politico identidem facta erat. Et recte sane. Enimvero quemadmodum in Politico natio eorum, qui laudem scientiae civilis temere appetere iudicantur, e regione posita est vero germanoque sapienti, qui unus merito suo censetur politici nomine dignus esse: ita etiam sophistae illi, qui in eo quod non est habitare iudicatur, verus philosophus opponendus fuit, hoc est is, qui idem esset germanus dialecticus, qui-que unice in eo, quod vere est, contemplando summo studio occuparetur. Atque hoc nostra quidem sententia factum est in Parmenide *). Nam in hoc libro qui praesentatur philosophus, is sophistae illi, in cognomine sermone prae oculis posito, prorsus ex altera parte respondet. Quippe ille nihil aliud nisi fraudem et fallacias consecratur ideoque in eo potissimum, quod non est, versari dicitur; hic vero perpetuo id agit, ut eius, quod vere est, vim rationemque omnem iudaget et exquirat, nihilque intentatum relinquit, quo ad veri intelligentiam perveniatur. Quod ut non perviderent homines

*) Diximus de hac re explicatius Prolegg. ad Sophist. p. 45 sqq. In eandem sententiam eodem fere tempore, quo ista scripsimus, Zellerus devenit *Studior. Platon.* p. 194 sqq. in eo tamen falsus, quod Parmenidi medium inter Sophistam et Politicum locum assignavit.

doctissimi, effectum maxime eo est, quod in hoc libro non hospes iste Eleaticus loquens inducitur, quem in Sophista et Politico disputantem audimus, sed ipse Parmenides, summus ille scholae Eleaticae magister, qui cum Socrate sapiente, sed tunc adhuc adolescente, de rebus longe gravissimis colloquitur. At enim vero id ipsum, si rem accurate perpendas, prorsus egregie ad rem praesentem accommodatum esse iudicari oportet. Nam ita primum quidem qui gravissimus habebatur doctrinae Eleaticae auctor atque princeps vim rationemque *obviae* omnem exponit, et quidem sic exponit, ut denique Eleatarum et Pythagoreorum opiniones ad Platonis sententiam referantur: deinde invenis Socratis exemplo docetur, quisnam ille sit, qui indole et natura vere philosopha praeditus esse existimari debeat, quandoquidem senex Parmenides Socratis iuvenis ingenium vehementer admiratur adeoque auguratur, eum aliquando, sicubi in vero quaerendo nullius rei investigationem reformidet, sed suis omnia ponderet momentis, ad summam perfecti philosophi laudem facile esse perventurum *). Postremum nimirum facile apparet eo pertinere, ut quum ipse Parmenides et singulari ingenii acumine et veri repertiendi studio maximo excellat, tamen Socratem eum esse significetur, in quo vis animi ingeniique philosophi maxime eluxerit. Quamobrem in utroque simul veri philosophi imaginem expressam cerni, altero iam adulto atque sene, altero adolescente, in optimam futuri temporis spem exerescente, si non dilucide pronuncietur, at certe non ita obscure ostenditur. At enim vero, inquit aliquis, qui tandem fieri potuit, ut in locum Eleatae repente succederet Parmenides, cum Socrate adhuc iuvene de gravissimo argumento disputans? Nimirum hic diligenter est reputandum, Cephalum quendam Clazomenium induci loquentem, qui familiaribus ipsum tacite audientibus sermonem iam ante multos annos Athenis habitum exponit. Quo profecto efficitur, ut, etiamsi scena dialogi praeter expectationem mutata sit, tamen nihil magno opere offendamur, siquidem existimare licet eosdem illos homines, qui in Theaeteto, Sophista et Politico familiariter conversati sunt, etiam hic Cephalo dare operam eiusque narrationem audire. Atque hinc tandem

*) V. Parmenid. p. 150. A sqq.

certissime perspicietur, quorsum illud pertineat quod Socrates in Theaeteto p. 183. E. et in Sophista p. 217. C. narrat sese olim adolescentulum cum sene Parmenide de istiusmodi rebus sermones contulisse. Manifestum est enim tecte significari Parmenidem, cuius scriptioem Plato quo tempore ista enunciauit iam meditatatus est.

Sed haec de Politico cum tribus illis, quos diximus, Ebris necessitudine et coniunctione *). Quae qui diligenter perpenderit, ii facile largientur vere nos supra iudicavisse, pendere eam fere ex rebus fortuitis, neque disputationis in Politico habitae argumentum tale esse, quod cum quaestione de scientiae fontibus deque essentiae rationibus in Theaeteto, Sophista et Parmenide agitata arctiore quodam vinculo contineatur. Quid igitur? qui tandem factum esse putabimus, ut philosophus illum librum cum tribus reliquis consociaverit et in unum coniunxerit? Dicam equidem quod sentio. Etenim haec opera omnia sicuti tempus originis habuerunt commune, ita etiam communiter a Platone editioni destinata sunt. Nam quo tempore philosophus in eo fuit, ut varias de veri iudicio opiniones exploraret et ad suam ipsius sententiam referret, eodem in scientiae civilis commentationem delatus est, aditus ea in re atque confirmatus etiam a Pythagoreis, qui de rebus ad civitatum administrationem pertinentibus sentirent magnificentius. Horum autem studiorum fructus quis est qui dubitet eum quam primum voluisse edere et cum popularibus suis communicare? Etenim multum sane ipsius interfuisse videtur, ut quum primum in patriam rediisset, non modo intelligeretur, quid quantumque esset quod in peregrinationibus ad sapientiae disciplinam profecisset, verum etiam de suo rerum publicarum iudicio publice constaret. Quamobrem quae de his rebus omnibus tunc commentatus erat, ea coniunxit artificiosius. Nam opera tanquam secundaria etiam sophistam, virum civilem et philosophum constituit depingere; quod quidem ita perfecit, ut quomodo philosophus verus et germanus quum a viris vulgari iudicio in republica claris tum a sophistis distin-

*) Quae Schleiermacherus Praefat. ad Politic. p. 262 sq. de Politico cum Euthydemo, Cratylo et Protagora necessitudine exposuit, ea quoniam vel incerta vel falsa videntur, hic respicienda aut examinanda non putavi.

guendus sit, clarissime appareat. Nam philosophus, etsi secundum ipsius sententiam maxime dialecticus est, tamen idem iam in Politico, quatenus in publicae vitae luce versatur, adumbratur ac depingitur; in Parmenide autem denique ut acerrimus veri explorator, qui id quod est subtilissime summoque cum studio exquirat, informatur. Atque hoc artificio Plato id consequutus est, ut quasi vinculum aliquod nancisceretur, quo opera ceteroquin argumenti dissimilis ac plane diversi apte continerentur. Id vero quo firmitus videretur esse, in Sophista et Politico simul Eleaticam disserendi viam rationemque ob oculos collocavit, quam ut inprimis respiceret, item temporum rationes effecisse existimandae sunt. Nam ex quo Megaris degerat, ipsum subtilis iste artis dialecticae usus adverterat, quem Megarici, Eleaticorum sequuti exemplum, praeter ceteros tenere visi sunt.

Sed hoc ipsum nos admonet, ut ad eum locum accedamus, quo de disserendi genere in Politico conspicuo disputatum iri significavimus. Et possumus sane iure quodam nostro iam tandem ulterius progredi, siquidem de temporibus, quibus hunc librum et scriptum et editum esse verisimile sit, ita exposuimus, ut quod addendum videatur, nihil amplius habeamus. Effecisse autem videmur, ut liber intra Olymp. 96. a. 2. et Olymp. 98. a. 1. scriptus nec ita multo post in lucem editus esse existimandus sit, eamque sententiam nostram ostendimus esse talem, cui dialogi argumentum atque adeo eius cum Theaeteto, Sophista et Parmenide nexus et copulatio quammaxime conveniat. Unde sicuti rationi nostrae plurimum praesidii et firmamenti accessit, ita vicissim iam Platónico operi nonnihil lucis admotum esse non inepte videmur statuere. Et vero etiam his, quae porro de eo exponenda sunt, aliquantum hinc lucis affundetur. Verum aggrediamur ad id, quod supra diximus dehinc a nobis tractatum iri. Dicendum enim nunc de genere disserendi in Politico conspicuo, et quorsum id pertineat ostendendum. Quae quidem disputatio etiam ad dilucidandum Sophistam valebit, ad quem consulto paucis tantummodo de his rebus disputavimus.

Est vero disserendi ratio, quae in Politico dominatur quaeque ei cum Sophista fere communis est, longe dignissima, de qua peculiari opera disquiratur. Videtur enim adeo esse singularis, ut universo operi afferat spe-

ciem sanequam admirabilem et a reliquorum sermonum Platoniorum, si ab uno Sophista et Parmenide disceserimus, forma et venustate plurimum abhorrentem. Nam exceptis paucis quibusdam locis, de quibus mox disseretur, plena hic omnia sunt acutis ac subtilibus generum in formas ipsis subiectas divisionibus; plena item argutis conclusivinculis et argumentationibus; plena denique partiendi atque definiendi spinis densissimis, ut librum legentes plane nobis videamur quasi in dumeta horridae cuiusdam dialecticae pervenisse. Quid igitur? quamnam tandem causam et rationem esse putabimus, cur Plato praeter morem et consuetudinem suam tam singulari disputandi genere usus sit? qui factum esse censebimus, ut iam relicta illa Socratica disserendi facilitate et elegantia tam tristem et paene morosam dialecticam susceperit? quid denique ipsum in eo sequutum esse arbitramur, quod missa Socratica disputandi ratione, qua in Theaeteto adhuc usus est, plane diversum disputandi genus adhibuit? Longi hic esse possumus in confutandis aliorum de his rebus opinionibus*). Sed praestat vitatis ambagibus breviter indicare, quid ipsi de hac re sentiamus, ac deinde sententiae nostrae reddere rationem, si forte fieri possit, ut eam aliis quoque persuadeamus. Censemus autem Platonem in his libris Megaricorum dialecticam, inprimisque dividendi rationem ab iis usurpatam, tanquam illustri aliqua imagine repraesentavisse in eaque re similiter esse versatum atque in exponenda iudicandaque eorum doctrina fecit. Etenim adumbravit eam et quam potuit fidelissime imitando expressit, ut legentes haberent, unde de eius vi et usu iudicarent; verum eadem opera etiam quaedam eius notavit vitia eamque demonstratis mali acuminis fraudibus emendavit emendatamque quodammodo cum Socratica ratione conciliavit. Quae ne videamur nostro tantum arbitratu ita statuisse, primum verisimile reddere conabimur, hospitem Eleaticum, qui loquens inducitur, more Megarico-

*) Veluti Socheri *De scriptis Platon.* p. 262 sqq. 269 sq. Astii *De Vita et Script. Plat.* p. 233. inf. et seq. super., qui Platonem putat disserendi rationem in Sophista usurpatam a reprehensionibus adversariorum in Politico vindicari, id quod statuit etiam Hertelius l. c. p. 23. Heusdii *Characterism. principum philosophor.* p. 126 sq. *Init. Philosoph. Platon.* Vol. II. Part. II. p. 194 sqq. ut alios taceamus.

rum disputare; deinde id sic fieri ostendemus, ut in eo simul levis quaedam et urbana cavillatio cernatur, siquidem etiam fraudes quaedam et errores illorum significantur; denique docebimus, etiamsi in ea re reprehendendi ridendique consilium manifestum sit, tamen disserendi viam et rationem eam teneri, unde appareat, quomodo Eleatica ista disserendi methodus, sublatis eius vitiis quibusdam, cum Socratica elegantia et humanitate coniungi copularique possit. Quibus explicatis speramus fore, ut quae doctissimis hominibus in toto hoc disputandi genere, quod Politicus cum Sophista commune habet, molesta acciderunt, ea idoneis causis atque rationibus niti sponte intelligatur.

Ac primam quidem partem huius disputationis, qua Megaricae dialecticae vestigia demonstrare propositum est, ultro fatemur fere mera niti coniectura ideoque pertinere maxime ad efficiendam verisimilitudinis probabilitatem, non item ad exploratae veritatis fidem et evidentiam. Cuius rei causa posita in eo est, quod quae de Megaricorum arte dialectica accepimus, sanequam sunt paucissima, quodque ipse Plato non satis aperte significavit, quid insolito isto disserendi genere sibi voluerit. Quodsi igitur in hac explicatione nostra ἀνάγκη illa persuadendi, quam philosophus alicubi dixit, desiderabitur, facilem nos speramus eius rei veniam apud aequos iudices inventuros esse.

Ac primum quidem ipse ille hospes Eleaticus, quem Plato loquentem induxit, aliquem in eam deducat suspicionem, ut Megaricorum dialecticam ab eo tanquam imagine aliqua repraesentari existimet. Nam etsi ille Sophist. p. 216. A. B., ubi mores eius et ingenium describuntur, dicitur esse Eleaticus, isque non pugnaci isti Eristicorum nationi accensendus, sed lenius illis ac moderatius in disserendo agere solitus; tamen, si faciem eius habitumque omnem propius consideraverimus, item videbitur esse Megaricus, hoc est, simul etiam Megaricorum partes agere. Quippe disputans ille sic inducitur, ut disserendi via et ratio, qua utitur, prope quidem ad Parmenidis et Zenonis morem et consuetudinem accedat, veruntamen ab eodem etiam aliquantum disteat. Quid igitur? qui tandem sit, ut dialectica ista, quam ex arte facit, in magna dissimilitudine tamen illi rationi sit simillima? Nimirum habet id, si quid vide-

mus, explicationem ex eo, quod Megarici inventam ab Eleatis artem susceperunt susceptamque inventis suis locupletarunt et ad maiorem quandam perfectionis laudem excoluerunt. Hoc vero quum ita sit, quid inde sequatur, sponte apparet. Verisimillimum fit enim, ne dicam certum, Eleatam apud Platonem in disserendo eorum sequi rationem ac disciplinam, qui post Zenonis aetatem omnem dialecticam ingenii sui solertia reddidissent perfectiorem, hoc est Megaricorum, quos in hac ipsa re constat studiosissime elaboravisse. Quamquam non est negligendum, quod fingitur alienissimus ab illa disputandi rabie, qua permultos Megaricorum ita flagrasse constat, ut iam Euclidis aetate nomen Eristicorum, parum illud honorificum, accepisse videantur. Enimvero disputat ille quidem ex Megaricorum ratione et consuetudine, sed disputat caute, moderate, prudenter, denique sic, ut pugnacibus contentionibus nihil, veri reperti studio ac disserendi subtilitati omnia tribuat. Quod quorsum pertineat, ad iudicandum non est difficile. Neque enim philosophus litigiosam istam sapientiam voluit depingere, quam multi temere amplexati erant; quippe istam satis habuit initio Sophistae paucis castigavisse; sed imitatione exprimere constituit eam disserendi methodum, quae dialecticae subtilitatis laudem ita tueretur, ut ad veri pervestigationem valeret atque contenderet. Eam vero nec germanis Megaricis ipsique Euclidi displacuisse aut ignotam fuisse, facile credent qui legerint Spaldingii Vindicias Megar. p. 3 sqq. Ita igitur ex his non temere conicias, disserendi rationem istam, quae in Sophista et Politico hospiti Eleatico tribuitur, non esse aliam quam quae ad Megaricorum praecepta et instituta comparata sit.

Atque hoc ita esse etiam ex eo suspicari licet, quod Plato in scribendis dialogis suis eorum imprimis habuit rationem, quae quo tempore scripsit, ipsi quasi ob oculos versabantur atque cum praesenti philosophiae statu et conditione maiorem quandam videbantur habere conjunctionem et necessitudinem. Quid igitur? num eum putabimus pictura ista sua dialecticae in Sophista et Politico conspicuae ipsum Parmenidem ac Zenonem aut eos, qui hos pressius sequebantur, significare voluisse? Nimirum id quidem adeo abhorret a verisimilitudine, ut nihil magis possit. Perinde certe est, ac si quis his nostris temporibus aliquem Wolfianorum, qui ante Kan-

tium in patria nostra maxima floruerunt auctoritate, imitanda eorum demonstrandi via aequalibus ante oculos ponere velit, scilicet eorum probandi et argumentandi consuetudinem descripturus. Quamobrem Platonem multo est verisimilius ad eos respexisse, qui Eleaticam disserendi rationem eo ipso tempore, quo hos libros scripsit, ita usurpaverint, ut eam etiam studiosius excoluerint et perfecerint. Id autem quis est quin sciat praeter ceteros fecisse Megaricos? Nam quod etiam Sophistae quidam Eleatico disputandi genere usi sunt, certe hi in his Platonis libris neutiquam videntur respectari, propterea quod eo maxime ad tricas et praestigias abusi sunt, maiore quadam arte ac diligentia disserendi caruerunt. Ac Megaricos potissimum ob oculos versatos esse Platoni, ipsa tempora reddunt verisimile, quibus Sophistam et Politicum ab eo scriptum videri antea disputavimus. Versatus enim tunc ipsum aliquamdiu Megaris erat et quomodo Euclides eiusque familiares in disserendo versarentur, ipso usu didicerat. Quid igitur? equis sibi persuadebit ipsum in iis libris, in quibus Eleaticorum atque Megaricorum de vi ac natura rerum deque veri iudicio doctrinam exposuit expositamque taxavit, aliam adumbravisse disserendi formam ac speciem, nisi quam illis vidisset adeo placere, ut ea etiam vehementer delectarentur ac paene superbirent? Nimirum nostra quidem sententia id tanto minus est verisimile, quod et dialecticam Megaricorum novimus statim ab ortu suo ad magnam famae celebritatem pervenisse et Platonem constat de disserendi disciplina sensitisse tam honorifice, ut perfecti dialectici munus idem voluerit esse perfecti philosophi.

At vero, inquit aliquis, cur tandem is, qui primarii disputatoris in his sermonibus partes sustinet, ab ipso Platone non Megaricis, sed Eleaticis potius annumeratur? Potuitne ille aut potius debuit vero nomine suo appellari Megaricus? Nam ita certe futurum erat, ut librum legentes insolentis istius disserendi rationis causas protenus perspiceremus. Audio equidem, et verum esse confiteor quod ea de re admonetur. Sed idem ego praefracte nego Platonem inepte fecisse, quod disputatori suo Eleatici personam imposuit. Nam primum quidem populares ipsius vel sic poterant novisse et intelligere, quatenus disserendi genus, quod disputationi suae adhibuit, ad Megaricorum consuetudinem referretur.

Deinde prudenter hominem iussit esse Eleaticum, ne prorsus esset Megaricus, hoc est is, cui aegre possent etiam ea attribui, quae a disciplina Megaricorum recederent. Multo igitur elegantius et urbanus designavit aliquem Eleaticum, qui liberiore sentiendi agendique ratione praeditus quum omnem Eleaticorum de veri iudicio doctrinam illustraret, tum etiam Megaricorum dialecticam ita probaret, ut quantumvis eius usui adsuefactus tamen quatenus vel emendanda vel perficienda esset, ipse facile sentiret et ex parte pervideret. Huc accedit quod eundem Eleaticum potuit etiam de rebus civilibus disputantem inducere, quod propemodum fuit necessarium, quum propter eas, quas in superioribus attigimus, causas eadem opera sophistarum, politicorum et philosophorum discrimen illustrare constituisset. Nam Megaricorum principes quum nusquam legamus attigisse rempublicam, tum Eleaticae scholae magistros liquido testatum habemus a rerum publicarum cura handquaquam abhorruisse. Parmenidem certe atque Zenonem accepimus Eleae, patriae suae, leges scripsisse sapientissimas, id quod magna consensione testantur Strabo VI. p. 352. Plutarch. adv. Colot. p. 1126. A. Diogen. Laërt. IX. §. 23. Ac simile quiddam etiam de Melisso Samio narratur, de quo v. Plutarch. l. c. Ex his igitur perspicuum esse putamus, quo iure Plato Eleaticum illum, qui de vi et natura eorum, quae sola mentis cogitatione comprehenduntur, disserit, etiam de civitatum gubernatione et rerum publicarum moderatoribus disputantem facere potuerit.

Verum redeamus illuc, unde paene inviti digressi sumus, atque alio etiam argumento confirmare studeamus, disserendi viam et rationem, quae in Sophista et Politico conspicua est, ad Megaricae scholae consuetudinem esse attemperatam. Consideremus enim iam tandem ipsam illam accuratius, et videamus, num quid proprium habeat, quod in Megaricorum potissimum rationem ac disciplinam convenire existimandum sit. Quod si ita esse invenerimus, quantum inde opinio nostra praesidii ac firmamenti habitura sit, facile intelligitur. Itaque primum videamus, quale tandem sit genus istud disputandi, quod in Sophista et Politico usurpatur; deinde illud commodissime ex Megaricorum decretis quibusdam declarari atque illustrari posse docere conabimur.

Et in exquirendis quidem dialecticae in his dialogis

usurpatae proprietatibus magnopere cavendum est, ne iudicium nostrum locorum dissimilitudine conturbetur, in quibus illius species et forma expressa cernitur. Nam alii de industria ad Socratici sermonis similitudinem compositi sunt, ut obscuriora tantum dialecticae severitatis vestigia habeant; alii autem sunt eiusmodi, ut in his prorsus ex artis legibus disputetur ideoque ea spernantur omnia, quae non ad argumentandi subtilitatem pertineant, cuiusmodi loci in Politico sunt p. 258. C sqq. 274. D sqq. 275 sqq. Apparet igitur in explorando iudicandoque disserendi genere, quod usurpatur, horum potissimum rationem esse ducendam, ita tamen, ut item exquiratur, cur ceterorum alia forma ac specis sit; de qua re mox explicabitur. Consideremus igitur nunc hos locos diligentius atque videamus, quid in his proprium habeat disputatio et quid ea differat a sermone Socratico, cuius elegantiam et venustatem in plerisque aliis Platonis operibus summa cum voluptate admiramur.

Et accedentibus quidem ad eorum contemplationem primo statim aspectu et tanquam ultro haec nobis occurrunt. Aguntur omnia tristius ac severius, quam alibi apud Platonem fieri solet; regnat spinosum quoddam et aculeatum genus argumentandi, prima certe specie sophisticum non absimile; coacervatur ingens vis et multitudo minutarum divisionum, quarum alia protenus ex alia deducitur; relicto interdum principali disputationis argumento, res vulgares et omnibus in medio positae disceptantur, ut scilicet inde subtilitatis dialecticae ducantur exempla, ad quorum similitudinem rationemque componatur disputatio de rebus difficilioribus et reconditioribus instituenda; denique pleraque omnia arguta quadam et concisa brevitate exquiruntur atque pertractantur, ut nemo futurus sit, qui hic Socraticum quiddam audire sibi videatur, quilibet protenus disputatorem aliquem de schola certae euidam disserendi rationi adsuefactum facili negotio agnoscat. Et haec quidem primo statim aspectu animadvertentur. Sed alia se nobis offerent accuratius etiam locos illos intuentibus. Prorsus enim dominatur hic illa definiendi ratio, quae vulgo appellatur analytica. Nam quarum rerum investiganda notitia est, earum semper genus aliquod universum et commune ponitur, quod formas sui similes tanquam partes in se complectatur. Hinc vero ordine deinceps ad formas ei subiectas rimandas explorandasque descenditur, usque dum perveniatur

ad id, cuius notio definitionis subtilitate investiganda ac circumscribenda est. Haec igitur ratio est, quam quum per totum fere Sophistam et Politicum, tum in iis imprimis locis animadvertere licet, quibus ex artis legibus omnia disquiruntur. Ea vero quamquam vim habeat quidve efficiat, in promptu et propatulo esse arbitramur. Efficit enim haec duo, ut genera dividantur, formae secernantur. Itaque neutrum horum ab Eleata negligitur. Nam et in dividendis generibus ille versatur subtilissime, et formarum secernendarum artificium tam callide periteque illustrat, ut omnem rei rationem deliberato consilio aperire ac patefacere velle videatur. Quod quidem ita esse, vel duo illi loci Politici docebunt, p. 258. C sqq. et 277. D sqq., quorum alter in dividendi, alter in secernendi arte illustranda maxime occupatus est, quamquam utrumque utroque loco quodammodo fieri necesse est. Est autem divisio, qua utitur Eleates, perpetuo huic adstricta legi, ut notiones semper diffindantur bifariam, eaque illarum series ordine deinceps pervestigetur, quae ad rem definitione explicandam denique perductura videatur. Quam quidem legem ille tam constanter observat, ut ne semel quidem ab ea discessisse reperiatur. Enimvero est haec ratio profecto longe simplicissima, ut mirum non sit, eam ab iis, qui hanc dialecticae partem primi excoluerunt, praecipue usurpatam esse. Nam quominus aliam esse huius rei causam existimemus, illud impedit, quod in ipsa divisionum natura nihil potest animadverti, unde ea probabilius explicetur.

Haec igitur est ratio dialecticae Sophistae et Politico Platonis propriae; nam de Parmenide infra dicitur. Tota ea versatur in exquirendis per divisiones rerum notionibus, ita quidem, ut secernantur simul, quae ab earum rerum, de quibus quaeritur, vi et natura aliena sunt. Sed ad cognoscendam eam atque iudicandam accuratius etiam aliud quid teneamus necesse est, quod pertinet ad eius usum et exercitationem. Significat enim Eleates, ut iam antea diximus, identidem, ad rerum difficiliorum quaestiones feliciter profligandas opus esse, ut quid disserendi subtilitas postulet, in rebus levioribus et ad perspicendum facilibus cognoscatur. Itaque saepenumero ita facit, ut dialecticae exercitationis causa res vulgares et primo certe ad aspectu ad rem praesentem nihil pertinentes perquirendas suscipiat easque tanta diligentia ac tanta subtilitate perscrutetur, ac si agatur de rebus

longe gravissimis et scitu dignissimis. Cuius rei exempla sunt Sophist. p. 218. E sqq. 221. C sqq. 225. A sqq. 226. B sqq. 227. A sqq. Politic. p. 279. A sqq. coll. p. 278. E., quo loco de exemplorum usu in disserendo praeclare exponitur. Quae quis dubitabit quin et ipsa pertineant ad perficiendam illam dialecticae imaginem, cuius partem modo adumbravimus? Nec profecto diu quaerendum, quid rei sit. Manifestum est enim ob oculos poni eum disputatorem, qui quum arti tum subtilitati dialecticae tribuit omnia, in eiusque usu et exercitatione tanto incensus est acuminis ostentandi studio, ut dummodo facultatis dialecticae laus aliqua comparetur, ne a minutarum quidem ac levium rerum pervestigatione abhorreat nec ulli quaerendi labori parcendum statuatur. Quae si cum iis, quae antea de ipsa dialectica exposuimus, consociaveris et in unum coniunxeris, facile videbis, opinor, qualem Plato totam hanc disputandi rationem finxerit et informaverit. Describitur enim ea disserendi facultas et consuetudo, quae quum subtilissime dividendis cernendisque notionibus vim naturamque rerum indagare ac definire soleat, tum etiam cum diligentissima certae cuiusdam methodi, quam vocant, observatione insignique subtilitatis studio coniuncta sit.

Atque haec quidem est forma quasi atque species dialecticae illius, quam in Sophista et Politico animadvertimus. Quam quidem contemplantes et cuiusnam scholae disciplinae ea conveniat nobiscum reputantes magnopere in ea opinione confirmati sumus, ut totam ad Megaricorum praecepta et instituta conformatam esse existimemus. Cuius iudicii nostri causas et rationes accuratius exponere tanto magis opus putamus, quo plus eius rei demonstrationem ad id valere censemus, ut de tota causa recte statuatur.

Et de eo quidem nobis licebit esse brevissimis, quod hospes Eleaticus et methodo disserendi suae et subtilitatis laudi tribuit plurimum. Est enim hoc profecto eiusmodi, ut vel maxime deceat eos, qui vel propter artificia, quibus utebantur, dialectica, vel propter studii ardorem, quo omnia acute subtiliterque perquirebant, iam mature Eristicorum nomen acceperunt *). Sed copiosiorum disputationem requirunt illa, quae de via ac

*) V. Deyks. De Megaricis p. 7 sq.

ratione disserendi in Politico et Sophista conspicua applicavimus. Haec enim ut dilucide appareat cum Megariorum ratione ac disciplina plane consentire, res repetenda est altius, atque demonstrandum, totam illam disserendi rationem cum aliis scholae Eleaticae decretis ita congruere, ut inde tanquam ex fonte suo manavisse videatur. Hoc igitur nunc ita agamus, ut ea in re ipsum Platonem potissimum sequamur duces.

Constat igitur Euclidem ceterosque familiae Megaricae principes sententiam Eleaticorum comprobavisse, qui id quod esset unum et rerum omnium vim naturamque complecti et mentibus nostris afferre veritatis scientiam et cognitionem volebant. Sed quum ea in re cum illis egregie consentirent, tamen uno illo Ente, quod Graece τὸ ἓν sive τὸ ὅν dicebant, neutquam acquieverunt. Sentiebat enim iam princeps familiae, Euclides, id unum si vere esset et scientiam efficeret, cognitionis humanae fines ac terminos adeo fore angustos, ut praeter eius quod esset naturam nihil cogitare et intelligere liceret. Itaque sequutus notionum menti humanae impressarum observationem, cui ipsum Socratica institutio ac disciplina adsuefecerat, uni illi naturae, quam esse volebant Eleatae, tanquam summo generi etiam generum et formarum vindicavit multitudinem, ut inde innumerae emergerent species sive ideae, in quibus rerum vis ac natura contineretur. In quo etsi proxime sane accessit ad Platonis sententiam, tamen cum eo de una re eaque longe gravissima vehementer dissensit. Nam quemadmodum Eleaticae scholae auctores, imprimisque Parmenides et Zeno, ei quod unum esset unitatis constantiam acerrime vindicaverant, ut omnem ab eo removerent varietatem relationis, ita Euclides et qui eum sequuti sunt duces, etiam ideas suas voluerunt esse unitates, hoc est species in se absolutas, quae seorsum per se constarent nec ullam ferrent necessitudinis adiunctionem, quam Plato his indicavit utique esse tribuendam. Fuisse hanc Megariorum sententiam, ab ipso Platone discimus *Sophist.* p. 246. B sqq. 248. A sqq. et 249. C sqq., ubi quae disseruntur, etsi olim ignoratum est quorsum pertineant, tamen nos quidem censemus verum acute pervidisse Schleiermacherum, qui ea ad Megaricos spectare indicavit. Quam viri praecelari sententiam nuper ita confirmare conati sumus Prolegomn. ad *Sophist.* p. 9 sqq. ut ea in re etiam Aristotelis usi simus testimonio ab illo

male neglecto *). Atque ex hac una maxime re lucem suam nanciscitur genus istud disserendi, in Sophista et Politico Platonis ab hospite Eleatico usurpatum, quod plane Megaricum esse arbitramur. Quid enim? qui notionum sive idearum unitatem tam mordicus tenebant ac tuebantur, ut eas nullo pacto subire vellent aliquam conjunctionis necessitudinem, si nonne consequens esse oportuit ut etiam in argumentando ac definiendo istud unum suum potissimum intuerentur ex eoque omnia pendere iudicarent? Id vero si ita fecerunt, non potuerunt profecto aliter facere nisi sic, ut ex illo ipso omnia reppererent ac deducerent, hoc est, generaliores notiones in formas suas dissolverent et in argumentando pariter atque in definiendo a summis generibus ad formas iis subiectas descenderent, nihil autem assumerent extrinsecus, quod cum illis tanquam alienum quiddam coniungeretur. Nam qui ideas ponebant esse unitates absolutas nullamque cum aliis subeuntes coniunctionem, eos denique eo devenisse consentaneum est, ut id tantum cuilibet rei attribui posse putarent, quod aut naturam eius penitus aequaret aut in ea tanquam aliqua totius pars velut inclusum et involutum teneretur. Probarunt igitur unice identica, quae vocantur, iudicia atque analytica; reiecerunt, in disserendo certe, quae dicuntur synthetica **). Quod quidem ita esse discimus ex Plutarcho *adv. Colot.* p. 1119. C. = p. 573. Vol. I. ed. Wytttenb., ubi Stilpo imprimis multus fuisse narratur in exornanda eorum sententia, qui suam cuique rei et rationi proprietatem ita constare volebant, ut aliud quid nisi quod inesset in ipsius vi et natura de ea dici ac pronunciarī posse negarent; discimus item ab ipso Platone, qui ubi de idearum agit connexionem, huius opinionis ita facit mentionem, ut Eleaticos et Megaricos, a quibus Sophistae quoque hanc sententiam videntur arripuisse, vel le-

*) Locus Aristotelis est *Metaphys.* XIV, 4, pag. 301. ed. Brandis: τῶν δὲ τὰς ἀκινήτους οὐσίας εἶναι λεγόντων οἱ μὲν φησὶν αὐτὸ τὸ ἓν τὸ ἀγαθόν, αὐτὸ εἶναι οὐσίαν μόνον τὸ ἓν αὐτοῦ ἕνόςτιν εἶναι μέγιστα.

**) De his iudiciorum generibus veteribus philosophis non ignotis v. I. C. Schwab, *Beweis, dass den griechischen Philosophen der Unterschied zwischen den analytischen und synthetischen Urtheilen nicht unbekannt war*; quae disputatio inserta est Eberhardi Horreo *Philosoph.* anni 1793. Vol. II. p. 112sqq.

nus irrideat vel apertius carpat ac perstringat. Quam in rem contulisse iuvabit Parmenid. p. 128. E sqq. Phileb. p. 14. C sqq. Sophist. p. 259. B sqq. *). Nimirum his locis omnibus etsi reprehenduntur tantum ii, qui severius agentes nihil statuebant de quaque re dici posse nisi id unum, quo ipsa eius natura absolveretur, tamen in eodem numero habendi sunt, qui similiter sentientes ea tantummodo volebant rebus posse attribui, quae naturae ipsarum essent propria. Quod Megaricis quoque placuisse, res ipsa indicat. Quamobrem verissime Schleiermacherus Opp. posth. Vol. IV. P. I. p. 94 sq. haec de iis scripsit: „Dieselbe Tendenz, jeden Gegenstand total, aber nur innerhalb seiner Sphäre aufzufassen, haben auch wohl zwei gewöhnlich nur sophistisch gescholtene Kanones, die das Verhältniss des Subjectes zum Prädicat betreffen, nämlich: Man könne von keinem Subjecte etwas prädiciren, was über dasselbe hinausgehe, also nur Theile, oder rein identisch jedes von sich selbst. Die angeführten Beispiele sagen sogar nur letzteres. Allein ersteres ist nach obigem Kanon dasselbe.“ Haec igitur quum in disserendo sequerentur, mirum profecto nemini accidit, quod ea ratione versati sunt, ut a generalioribus notionibus ac sententiis exorsi ad singularia descenderent, eamque disputandi viam quum in argumentando tum in definiendo tenuerunt. Et in argumentando quidem quomodo versati sint, perspicue edocemur a Diogen. Laert. II. §. 106., cuius verba nuper in Prolegg. ad Parmenidem Platon. p. 314 sqq. tractavimus. Solebant enim, ut fit in Parmenide, adhibita hypothetica disputandi forma, ordine perpetuo conclusiones ex conclusionibus elicere, donec perventum esset ad id, quod argumentando effici vellent. Quod quis est quin videat prorsus cum eorum de notionibus sive ideis sententia concordare, de qua antea explicavimus? Similiter igitur etiam in definiendo versati sint necesse est, ideoque hic quoque eam tenuerunt viam, ut a summo genere eius rei, de qua quaereretur, exorsi pedetentim ad exquirendas formas illi subiectas proficiscerentur iisque recensendis id, quod definitione circumscribendum videretur, subtiliter ab aliis rebus distinguerent ac secernerent. Hanc vero rationem

*) V. Prolegg. nostra ad Parmenid. p. 37 sqq.

in Sophista et Politico Platonis tanquam viva quadam imagine expressam cernimus, sicuti vel unus ille locus Politici p. 258. C sqq. luculente docet, ubi Eleates virum rerum civilium cognitione praeditum investigaturus, quoniam ratio ac disciplina civilis artis ac scientiae generi subiecta sit, a summo scientiae genere repetit atque formas eo comprehensas perpetua serie persequitur; sed docet praeterea totus fere Sophista iuxta cum Politico. Atque hinc concludimus definiendi ac dividendi viam ac rationem in his libris regnantem non esse aliam nisi Megaricam aut saltem ad Megaricae rationis similitudinem quam diligentissime comparatam. Idque tanto confidentius pronuntiare audemus, quod etiam coniunctio ac necessitudo horum scriptorum cum Parmenide eam sententiam non mediocriter confirmat. Nam in Parmenide certo exploratum habemus concludendi et argumentandi rationem usurpari ad Megaricorum consuetudinem diligenter attemperatam. Iam vero in Sophista et Politico quae regnat definiendi ratio, ea, si summam rei spectaveris, haud sane alio nititur fundamento. Quum igitur hi libri argumenti quadam cognatione contineantur, consequens esse putamus, ut in iis omnibus Megaricam disserendi artem imitando expressam esse suspicari liceat. Atque hoc si recte iudicavimus, quo modo haec opera omnia inter ipsa etiam dialecticae nomine coniuncta sint, neminem fugiet. Nam in Sophista et Politico ars dividendi atque cernendi, sive analytice definiendi, in Parmenide autem concludendi et argumentandi ratio secundum Megaricorum praecepta et instituta ostenditur. Quibus libris quod praemissus est Theaetetus, in quo Socratica illa ars obstetricandi eleganter depingitur, id non sine idonea caussa factum esse facile apparet. Enimvero ita imago quasi quaedam Socraticae elegantiae et veri inquisitionis praemittitur, ad quam deinde Megarica ista subtilitas exigi et indicari queat. Sed haec de re proposita satis sunt. Videmur enim, nisi plane fallit opinio, iam verisimile reddidisse Megaricam disputandi consuetudinem in his libris a Platone ad ipsam vitae veritatem adumbratam esse.

Hic vero quaerat aliquis, num Platoni ista ipsa, quam depinxit, disserendi ratio ita placuerit, ut nihil in ea reprehendendum vel emendandum putaverit. De qua re nos quidem sic existimamus. Universa quidem Platonis quoque ea probata est, id quod luculenter patet ex

his locis, in quibus de arte dialectica eiusque exercitatione uberius praecepit, veluti Phileb. p. 16. D sqq. Phaedr. p. 265. D sqq. 270. D sqq. 273. E, coll. Sophist. p. 253. D. Polit. p. 285. A B. Nihilominus acute pervidit, multam in eius usu esse adhibendam prudentiam et cautionem. Quamobrem primum quidem eam censuit coniungi oportere cum ratione disserendi synthetica: deinde etiam fugiendum arbitratus est fraudum et fallaciarum periculum, in quod facile incurrere vidit eos, qui omnia studerent ad acutas subtilesque cogitandi atque argumentandi regulas exigere in eaque re singularis acuminis laudem quaerent. Atque in Sophista quidem et Politico dubitari non potest quin philosophus id ipsum egerit, ut vitia et errores ex nimio isto subtilitatis studio prognati riderentur ipsumque istud studium subtilitatis leniter traduceretur. Quod mirum est homines doctos adeo non perspexisse, ut in multos magnosque errores delapsi sint *). At enim vero qui omnia rimati fuerint diligentius, ii nobiscum facile agnoscent in plurimis vafrum callidumque familiarium quondam suorum monitorem urbanumque derisorem, qui disputationis partibus iis, in quibus ex artis legibus aguntur omnia, ea admiscuerit, unde quid in earum ratione desideraverit, facili coniectura auguremur. Duplex autem, si quid iudicare possumus, reprehensionis argumentum est. Primum enim vitia quaedam in ipsa artis exercitatione, sicuti videtur, apud illos non admodum infrequentia tecte quidem at satis tamen aperte notantur; deinde putidae et molestae diligentiae studium castigatur, cui singulari quadam subtilitatis cupiditate incensi mirum quantum fuisse dediti videntur. Utriusque igitur generis exempla percenseamus, quo magis huic sententiae nostrae fidem faciamus.

Risit igitur Plato atque explosit primum ipsam dialecticam istius exercitationem, quae in summa laudis ex subtilitate et acumine redundantis cupiditate tamen eas fraudes ac fallacias vel consecraretur vel admitteret, quas

*) V. praeter alios Hensdrius Instit. philosoph. Plat. Vol. II. P. II. p. 104 sqq. qui irrisiois vestigia nulla ex parte odoratus est. Primus aliquid irrisiois in his inesse sensit Schleiermacherus Praefat. ad Politic. p. 252 sq. qui tamen sententiam suam non satis dilucide aperuit.

recta ratio minime ferre videretur. Nec tamen id fecit sic, ut suam ipsius aperte prodiderit sententiam, sed eo usus est artificio, ut Eleatae disputationi protervo quodam lusu falsa quaedam et a rectis iudicandi disserendique legibus abhorrentia immiscuerit. Nam quominus ipsum Platonem existimemus in istis omnibus stolidè ruisse, certe illud prohibet, quod eum aliunde constat dividendi cernendique leges accurate cognitae habuisse. Peccatur vero ab Eleata maxime in eo, quod non ita raro ea profert divisionis membra, quae parum apta sunt ad id, de quo quaeritur, vel etiam ex rebus admodum levibus ac fortuitis suspensa, quodque ea ponit subinde, quae non possunt pro formis eiusdem generis coniugatis haberi, verum aliorum pertinent. Cuius generis exempla, missa Sophistae consideratione, ex uno Politico depromissemus satis erit, de quo nunc potissimum agitur. Defungemur tamen paucissimis, quum in promptu sint plurima, ne praeter necessitatem longiores fuisse existimemur. Pertinet igitur huc illud p. 263. E sq. ubi posteaquam artem civilem animadversum est in communi animalium cerui pastione, protenus pastionis ars et scientia dividitur in τὸ ὑποτροχικὸν et τὸ ἑποτροχικόν: quasi vero ad inveniendum id, de quo quaeritur, multum intersit, utrum animalia in sicco an in fluido vitam degant. Simili modo p. 265. B. pedestria animalia in duo dispescuntur genera, prouti aut cornuta sint aut cornu nullum gerant, ut scilicet rex denique pascat gregem cornibus mutilum. Quod quis est quin habere sentiat aliquid lepidae ac festivae cavillationis? Scilicet poterant eadem illa etiam in unguata et non unguata, crinita et non crinita, velleria gerentia et velleribus carentia dividi, siquidem ex istiusmodi rebus artis civilis laus atque virtus aestimanda esset. Porro manifestae irrisiois indicium habent quae p. 265. D sqq. disputantur. Ibi enim bipes animal in homines et aviculas dividitur, certe non alio consilio, quam ut generi humano ridicule tanquam alterum par genus anserum, anatum, aſiarumque volucrum adiunctum videatur. Similiter p. 266. E sq. bipedum grex dissecatur in nudum et pinnatum, ut prope modum illam hominis definitionem admoneamur, quam a Platone aliquando in scholis propositam Diogenem ferunt lepide perstrinxisse. Iam vero quod p. 261. D. reprehenditur divisio animalium in bruta et homines, etsi vera sunt quae ibidem de discrimine inter formas generum

atque partes totius rei constituendo exponuntur, tamen ea arguto errore ita diiudicantur, quandoquidem recte profecto animalia in bruta sive ratione carentia et in homines sive animalia ratione praedita dispertiri licet. Verum taedet plura de hoc genere commemorare, quum adeo sint frequentia, ut qui illos quos diximus locos paullo diligentius excusserint, facile ipsi innumera fere istiusmodi minutarum ac vitiosarum divisionum exempla animadversuri sint.

Sed praeter istas fraudes et fallacias in dividendo cernendoque admissas a Platone putamus etiam immoderatum quoddam subtilitatis studium notari ac reprehendi, quo Megaricos ductos fuisse vel Eristicorum nomen iis impositum arguit. Nam primum quidem quum cupide id agerent, ut in quaestionibus difficilioribus dialecticae methodi exempta ob oculos ponerentur, nihil fere curabant, quale id esset de quo disputaretur, neque dubitabant etiam res vulgares et in medio positas pervestigare; quae eorum ratio, ut ante diximus, non sine quadam irrisionis acerbitate memoratur Politic. p. 266. D. et Sophist. p. 227. AB. coll. Parmenid. p. 140. DE. Deinde vero etiam istas ipsas res ita cum pulvisculo exercebant, ut eas opera laboriosissima perquirent, iisque tantundem studii impenderent, quantum impendi oporteret iis, de quibus proprie quaestio esset instituta. Enimvero improba ista subtilitatis affectatio atque vehemens dialecticae laudis cupiditas eos videtur interdum eo usque transversos egisse, ut adeo hoc nomine ridiculi et inepti evaderent. Atque id ipsum Platonem putamus significavisse eo, quod Eleatam fecit de iis rebus, quae exempli loco positae sunt, veluti de lanificio, putida fere diligentia, quae minima quaeque rimatur discrimina, copiosissime explicantem. Quod genus irrisionis ne putes a philosophi more et consuetudine abhorrere, simili certe modo in Cratylo et Euthydemo ingens coacervatur copia et multitudo ineptarum originationum argutarumque conclusionularum, ut philosophorum quorundam ratio ac doctrina ad ridiculum traducatur. Atque haec si tenemus, clarissime etiam apparebit quorsum locus ille Politic. p. 283. A. usque ad p. 287. B. referendus et quomodo intelligendus sit. Quem quod Schleiermacherus Praefat. ad Politic. p. 253. censet eo pertinere, ut disserendi ratio in Sophista usurpata a reprehensione et castigatione adversariorum Platonis defendatur, fatemur nos plurimum

discedere a viri acutissimi iudicio. Imo depingi illic putamus disputatorem dialecticae subtilitatis adeo studiosum, ut vel in longitudinis excusatione ridicule fiat longior et copiosior. Quamquam hoc quoque loco seria iocis mixta esse haudquaquam audemus ire iustias.

Verum satis de his. Nec enim iam dubitabitur amplius verum esse quod antea diximus, magnam certe partem eorum, quae disputantur subtilius, manifesta habere callidae vafraeque irrisionis signa et iudicia, ut Platonem hac operis sui parte tristiores istos ac severiores scholae Megaricae assectatores urbane deludere voluisse pro explorato habendum sit.

Progredimur ad id, quod tertio loco docere propositum est. Putamus enim Platonem, etiamsi in depingenda Megaricorum dialectica cavillandi ridendique consilium secutus sit, tamen etiam id egisse, ut quid potissimum in dividendo cernendoque observari oporteret, illustri aliquo exemplo demonstraret, adeoque Megaricae disserendi artis cum Socratica elegantia et humanitate coniungendae viam ac rationem monstravisse. Quod quo artificio sit consequutus, paucis explanare operae pretium erit.

Ac primum quidem hic animadvertendum illud est, de quo iam antea diximus, hospitem Eleaticum, qui in Sophista et Politico disputat, eum fingi ac describi, qui quum dialecticae subtilitatis sit studiosissimus, eique plane adsuefactus, tamen nullo modo sit rixosus aut contentiosus aut pervicax et obstinatus opinionum semel susceptarum defensor ac patronus. Imo ille in fervidissimo disputandi ardore tamen item est lenis, urbanus, modestus, denique veri adeo amans, ut eius exquirendi studio atque arti omnia tribuat. Nimirum talis ingenii homini facile apparet rectissime etiam ea potuisse attribui, quae a scholae Eleaticae, cui addictus fuit, praeceptis et institutis aliquantum recederent, si modo ad verum repertiendum viderentur conducere. Itaque ille sic loquens inducitur, ut facile quidem agnoscas hominem certam quandam in disserendo viam et rationem mordicus tenentem; sed facile etiam animadvertas, paratum eum esse atque promptum ad errores, si quos senserit, libere notandos atque emendandos. Quin etiam pluribus locis ita sermones miscet, ut ultro relicta illa cui deditus est disserendi se-

veritate liberius atque copiosius disputet et ad sermonum Socraticorum copiam et ubertatem transgrediatur. Quod quam eleganti iudicio sic a Platone factum sit, vix crederemus quemquam posse praeterire, nisi Socherum De scriptis Platonis p. 278. in hac ipsa re mirabiliter lapsus videremus. Is enim eo ipso, quod in uno Sophista et Politico hospes Eleaticus principales disputandi partes tueretur, suspicionem suam confirmari arbitratur, qua istos libros non a Platonis manu profectos esse aliis de causis statuerit et iudicaverit. Nimirum ita error alius alium gignere solet. Nam qui Eleatae nostri personam accurate consideraverit, is non modo nihil insoliti aut inepti in ea animadvertet, verum etiam Platonis in ea adumbranda ac designanda solertiam lubentissime nobiscum admirabitur. Sed transeamus ad ea, quae Plato Eleatam suam disputare iussit. Quae si perpenderit accuratius, protenus apparebit item sic esse exposita, ut omnes elegantiae numeros habeant.

Ac primum quidem hic dignum est observatione, quanta ingenii solertia philosophus effecerit, ut quantumvis Eleatae errores nonnulli tribuantur, tamen id, de quo disputatur, denique recte inveniat subtiliterque exquiratur. Etenim summo ille veritatis studio incensus vel in maximis erroris periculis tamen feliciter denique id attingit, quod attingere voluit, ut facile hinc intelligatur, quanta vis sit invicti illius veri amoris, quo tanquam animatus fingitur. Praeterea vero etiam eas fere admittit fraudes, quae, etsi dissereandi vitia quaedam arguunt, tamen summae disputationis nihil afferunt detrimenti. Quocirca postremo felici sane laboris sui successu et artis civilis vim naturamque exquirat, et quae sit philosophi in publicarum rerum luce constituti dignitas quaeque eius ab vulgaribus civitatum gubernatoribus diversitas, vere recteque diiudicat. Verum haec quum per se nihil valeant ad demonstrandam Megaricae dialecticae vel emendationem vel cum Socraticis sermonibus conciliationem et consociationem, alia memoranda sunt, unde eam Platonis propositam fuisse certius intelligatur. Pertinet autem haec ante omnia illud, quod Eleates non ita raro, si quid minus recte divisum aut conclusum videtur, id ipse corrigit et emendat, additis etiam acutis et prudentibus dialecticis praeceptionibus. Quorsum referimus praeter alia, quae p. 261. D sq. de formis inter summum genus et alias species interiectis non temere transiliendis,

p. 262. A sqq. de formis notionum ad genera sua prudenter revocandis; p. 275. C sqq. de principio dividendi ex ea re petendo, cuius notio divisione investiganda sit; p. 277. D sqq. de natura et usu exempli; p. 277. D sqq. de longitudine sermonum ex disputantium consilio aestimanda, de aliis rebus eiusmodi p. 283. B sqq. et 285. A. D. E. 286. A. 287. A. ab eo disputantur. Nimirum haec omnia id postremo efficiunt, ut tanquam dialectica quaedam exhibeatur institutio. Cui quid propositum sit, nobis quidem non dubium videtur. Neque enim assentimur Schleiermachero. *Introduct. ad Politic.* p. 251. et p. 253. atque Astio *De Vita et Script. Platon.* p. 234. scripta haec esse putantibus a philosopho, ut suam ipsius rationem a criminationibus in ipsam coniectis purgaret ac defenderet. Neque accedere possumus C. Fr. Hermanno *Histor. Philosoph. Platon.* Vol. I. p. 500 sqq. ex eo, quod in Politico potissimum eiusmodi emendationes et praeceptiones proponuntur, protenus concludenti Politicum longo intervallo post Sophistam scriptum esse, quo tempore Plato disserendi rationem in Sophista usurpatam dudum rursus deseruerit. Enimvero nos si quid de his rebus iudicare possumus, in Sophista eadem prorsus quae in Politico regnat disserendi methodus; sed maior in illo irrisio et cavillatio est; in hoc frequentior errorum notatio atque dialectica praeceptio. Hoc autem si quaeris qui ita fiat, paratam habemus responsionem. Videtur enim Plato deliberato consilio in Politico demum, quippe proxime post Sophistam scripto, clariorem lucem admovere voluisse insolitae isti argutaeque dialecticae, quam in Sophista usurpare coeperat, et clarius iam apertiusque prodidisse, cur ea usus esset et quid omnino de eius usu sentiret. Quo artificio etiam illud est consecutus, ut qua ratione subtile istud disputandi genus perfici, emendari et cum Socratici sermonis virtute et elegantia coniungi posset, certius omnibus patefaceret. Quidnam autem potissimum in eo desideraverit, id quum praecepta ab Eleata subinde data luculente doceant, tum etiam illa reddunt manifestum, quae in Philebo p. 16. A. et Phaedro p. 265. D sqq. al. de synthetica pariter atque analytica disserendi ratione traduntur. Consentiant enim haec cum illis prorsus egregie, ut iis tanquam confirmandis inservire videantur. Nam in Phaedro praecipitur hoc, ut idea sive notionis genus secundum naturalem formarum ac specierum ordinem divi-

datur; quod qui faciant sinistre, ii similes esse dicuntur coquis parum solertibus, qui in epulis apparandis eas ciborum particulas diffringendo faciant, quae ipsi ciborum naturae parum sint convenientes. In Philebo autem inter alia leguntur haec: οἱ δὲ νῦν τῶν ἀνδρόπων σοφοὶ ἐν μὲν ὅπως ἂν τήνωσι καὶ πολλὰ (h. e. genera et formas) θᾶττον καὶ βραδύτερον ποιῶσι τοῦ δέοντος, μετὰ δὲ τὸ ἐν ἅπειρα (h. e. partes singulas s. individuas res) εὐθύς, τὰ δὲ μέσα αὐτοὺς ἐκφεύγει, οἷς διακεχώρισται τὸ τε διαλεκτικῶς πάλιν καὶ τὸ ἐριστικῶς ἡμᾶς ποιῆσθαι πρὸς ἀλλήλους τοὺς λόγους. De his igitur similibusque rebus crebro in Sophista, crebrius etiam in Politico admonetur, eo quidem consilio, ut quid in dividendo, cernendo, definiendo denique atque disserendo observandum sit, rectius cognoscatur, atque etiam dialectica ista methodus Megaricorum propria, quae in iisdem libris imitatione expressa est, emendetur emendataque propius ad Socratici sermonis elegantiam et virtutem adducatur.

Atque hic nos videmus ad aliud quid pervenisse, unde item intelligi liceat id, quod diximus Platoni fuisse propositum. Vidimus antea Eleatam apud Platonem sic induci disserentem, ut dialecticae exercitationis gratia res vulgares et in medio positas operosa diligentia pervestiget iisque tantundem laboris atque studii impertiat, quantum rebus longe gravissimis. Nimirum videtur is utique mos fuisse Megaricorum, acutae subtilitati omnia tributantium, rerum dignitatem atque gravitatem minus curantium. Quem quidem morem sicuti Plato lepida imitatione exposuit, ita egregio artificio adumbravit sic, ut cum analytica illa via et ratione genus quoddam Socraticae inductionis coniunxerit, a Megaricis fere repudiatae. Nam Euclides teste Aristotele Metaphys. I, 20. et Diogene Laërt. II. §. 107. Socraticam παραβολὴν funditus sustulit eamque ob causam etiam usum inductionis plane aspernatus est. Quod qua de causa ita statuerit, nemini cuiquam erit obscurum: acquievit enim ille in una analytica disserendi ratione, quae quominus quidquam extrinsecus ad argumentandum assumeretur, omnino prohibebat. Quid igitur Plato? nimirum is ut ostenderet quid hoc nomine in illa disserendi severitate desideraretur, prudentissimo consilio exempla, quae praeviae exercitationi dialecticae inservirent, ab iis rebus

sunsit et repetiit, quae cum ea re, de qua proprie quaereretur, insignem quandam haberent similitudinem, ideoque morosae illi ac tristi argumentandi severitati Socraticae comparationis suavitatem adiunxit. Id quod multo cum festivitatis lepore inprimis sic fecit in Sophista. Nam in eo dialogo sophista sic investigatur, ut nunc cauponi, nunc institori, nunc athlethae, nunc purgatori alicui similis esse dicatur *); quorum quidque sicuti exercitationi dialecticae praebet materiam, ita etiam continet aliquid, quod facete urbaneque in sophistam transferri possit eiusque naturam et ingenium suavi aliqua comparatione collustret. Fecit item, semel certe, in Politico. Etenim quo loco seiunctionis ac divisionis ratio exemplo a re vulgari petito declaratur **), eo simul id effecit, ut artis civilis virtus ac praestantia omnis suavissima artis textoriae comparatione reddatur illustrior. Atque ex his iam perspicuum erit, quorsum illa pertineant, quae Eleatam p. 285. D sqq. iussit de usu exemplorum in disputando exponere. Commendatur enim hic usus comparationis atque inductionis Socraticae ab Euclide ipso male repudiatae, quippe quem Plato facile perdidit plurimum valere ad id, ut quae a sensibus sunt abducta, ea rerum oculis subiectarum similitudine in illustriore luce collocentur ***). Sed satis de his. Pergimus ad tertium quiddam, unde Platonem intelligere liceat in Sophista et Politico Megaricae dialecticae severitatem Socraticae rationis usu temperavisse eaque re, qua parte illa perficienda et emendanda videretur, significasse.

Fecit enim Eleatam interdum ita disputantem, ut misso aliquando angusto isto et conciso disserendi genere, quod ab omni abhorret orationis ornatu et elegantia, ultro versetur liberius ac paene germanus fiat Socraticus. Cuius rei exempla, quoniam de Sophista alio loco diximus, hic ex uno Politico attulisse sufficet. Pertinet autem huc ante omnia copiosa illa de variis mundi aetatibus narratio, cuius summam antea exposuimus. Quae certe ita comparata est, ut eum, qui antea in acutis brevibusque haesit divisionibus et conclusiunculis,

*) P. 218. E — 232. B.

**) P. 277. D — 283. A.

***) Platonis sententiam de inductionis ad verum perspicendum utilitate egregie illustravit Heusdius Init. Philos. Plat. V. II. P. II. p. 82 sqq.

paene mirum sit repente ad tantam orationis copiam et ubertatem transire potuisse. Eumvero sequitur hic Eleates Platonis communem fere morem antiquae philosophiae, in qua fabularum usus longissime pervagatus fuit, propterea quod iam antiquitus apud Graecos summa fuit philosophiae et poësis coniunctio. Nec vero ille praeter consuetudinem eius familiae, cui adscriptus fuit, fabulam narrans inducitur. Nam Eleatas quidem fabulas in philosophando non aspernatos esse, vel ex unis Parmenidis reliquiis intelligitur. Sed longe dignissimum est quod observetur diligentius, hospitem non ut ceteros philosophos uti fabulosa narratione, sed prorsus eadem conditione id facere, qua Socrates apud Platonem solet; de qua re mox accuratius exponemus. Hoc autem si verum est, quid inde ad sententiae propositae confirmationem consequatur, profecto non est cur dedita opera ostendamus. Sed praeter fabulosam istam narrationem, in qua Eleaticus repente a consueto disserendi genere recessit, alius hic locus praecipue animadvertendus est, qui et ipse non mediocriter videtur opinionem nostram confirmare. Nam quo loco ille instituit de viri rerum civilium scientia vere ornati dignitate, de ineptis vanisque eiusdem imitatoribus, de optima civitate, de Graecorum rebus publicis, de vera arte civili deque reliquis artibus huic famulantibus, aliis id genus rebus, explicare *); ibi vero, etiamsi plane idem animadverti potest dividendi cernendique studium, quod in plerisque aliis dominatur sermonis partibus, tamen ea est verborum ubertas, ea sententiarum copia, ea denique sermonis elegantia et urbanitas, ut non iam severum istum de schola disputatorem audire videamur, sed ipsum Socratem aut potius Platonem credamus sermonem suscepisse ac more suo de re gravissima facunde et copiose disputare. Etenim hoc quoque eo putamus referri oportere, quod Plato acutam Eristicorum brevitatem ad Socratici sermonis ubertatem et elegantiam educendam provehendamque iudicavit. Quod autem Eleatam fecit isto modo disputantem, id fortasse etiam inde aliquid habet explanationis, quod Euclides etsi dialecticae subtilitati totum se dedit, tamen etiam sermones scripsit, in quibus fieri sane potest ut ad Socraticam disserendi rationem propius ac-

*) P. 291. C sqq.

cesserit *). Quocirca haec utique plus lucis essent habitura, si de Euclidis dialogis aliunde certius constaret: nunc meris acquiescendum suspicionibus est.

Et haec quidem de dialectica in Politico usurpata. Quam si ita illustravimus, ut sententia nostra idoneis harum rerum iudicibus non omnino displiceat, videmur non inepte existimare, iam nunc partem non exiguam difficultatis illius, qua Politici interpretatio premi visa est, haud infeliciter sublatam esse. Neque enim disserendi forma ac species, quam habet propriam, ea iudicabitur, quae a Platonis ratione aut ingenio abhorreere putanda sit, omnisque orationis habitus facile aestimabitur ex iis, quae Platoni pro rerum suarum conditione consilique ratione fuerunt proposita.

Progrediamur igitur nunc ad excutienda ea, quae dedita opera de rebus civilibus disputantur. Quod quidem ita facere in animum induximus, ut principales operis partes ordine singulas lustremus et quid in unaquaque ad propositi argumenti explicationem proferatur, accuratius dispiciamus. Discerni autem facili negotio possunt tres partes operis primariae: una, qua de viri civilis natura ita disceptatur, ut artis dialecticae imprimis ducatur ratio; altera, qua fabulose exponitur de mundi aetatibus eiusque gubernatione; tertia denique, qua artis civilis et perfecti regis imago exhibetur atque ea dilucidantur, quae ad rerum publicarum administrationem pertinent. Quas quidem singulas ita considerasse iuvabit, ut quid in unaquaque exponatur et quorsum id ipsum pertineat quibusve causis nitatur, ostendere conemur.

Et de dialectica quidem parte operis, hoc est ea, quae p. 258. C. usque ad p. 468. E. et p. 274. E. usque ad p. 291. C. perscripta est, licebit nobis esse brevissimis. Nam quum ei id potissimum sit propositum, ut dialectica Megaricorum vel urbana quadam irrisione depingatur vel ad Socraticam rationem corrigatur atque emendetur, quae de arte civili eiusque amatoribus exponuntur saepe sunt pauciora, quam pro huius loci amplitudine expectes. Quamquam cave existimes Platonem rei principalis hic fuisse prorsus immemorem. Docuit enim philosophus utique primum quidem, quibusnam

*) V. Deyks. De Megaricis p. 6.

scientiae generibus ars civilis subiecta sit, deinde a quibusnam artibus cognatis ea secerni debeat: in quo etsi subinde lusit potius quam severe egit, tamen simul id spectavit, ut quae ad rem illustrandam essent utilia, in medium afferrentur. Discimus autem inde fere haec: artem civilem quoniam in regenda et gubernanda republica versetur, in eaque maxime mentis intelligentia et consilio opus sit, non tam ad *πρακτικὴν* quam ad *γνωστικὴν* scientiae partem pertinere *): *γνωστικὴ* autem, quoniam sit vel *κοιτικὴ*, quae nihil nisi verum diiudicet aut agnoscat, vel *ἐπιτακτικὴ*, quae ratum fieri iubeat id, quod pro vero rectoque sit habitum, consequens esse, ut ars civilis huic subiecta putari debeat, quippe quae cognita imperet, et quidem propria atque sua auctoritate, ut ob eam causam *αὐτεπιτακτικὴ* appellari possit **); pertinere autem eius imperium non ad bruta animalia, sed ad homines, qui quidem una communitate reipublicae coniuncti per eam tanquam ali atque pasci existimandi sint ***). Quanquam postremum hoc non satis esse indicatur ad definiendam omnem artis civilis vim rationemque, quandoquidem istud pascere atque alere latius pateat, quam ut in unum principem artis civilis peritum convenire existimandum sit †). Itaque altero loco, quem indicavimus, id agitur, ut accuratius ostendatur, a quibusnam artibus cognatis ratio civilis secernenda ac distinguenda sit. In qua quaestione quomodo ex arte versandum sit, exemplo eius texturae partis demonstratur, quae in lana tractanda occupata est ††), addita etiam subtili admonitione, qua huius disquisitionis longitudo excusetur †††). Tum vero, ostenso discrimine inter artes effectrices et artes administras sive adiutrices, ante omnia a ratione civili segregantur ea negotia, quae quum ei serviant et tanquam famulentur, tamen minime cum ipsa confundi debeant. Referuntur huc primum officia omnia, quae in rudi materia tractanda, in instrumentis, vasis, vehiculis, tegumentis, artis operibus, aliisque rebus comparandis versentur, quae ad vitam de-

*) P. 258. C — 259. D.

**) P. 259. D — 261. A.

***) P. 261. A — 266. E.

†) P. 266. E — 268. E.

††) P. 279. A — 283. A.

†††) P. 283. A — 287. B.

gendam sustentandamque necessariae sint. Referuntur huc item artes eae, quae ad mansuetorum animalium tractationem pertineant, quippe quae τῇ ἀγέλαοτροφικῇ, quae dicitur, contineantur. Denique etiam pertinere huc iudicatur opera servorum et ministrorum. Quanquam inter hos futuros esse censet Eleates, qui ad civilis artis laudem adspirare non verecundentur. Quorum quidem hominum fastum ac superbiam philosophus hoc loco facetissima irrisione exagitat ac perstringit; quandoquidem eos omnes admonet gravissime, nihil esse cur adeo superbiant, quum quanto intervallo a veri regis et principis dignitate distent, ipsi ne suspicari quidem videantur. Non quidem verendum est, inquit, ne venales illi servi itemque ii, qui sese ultro eorum operae addixerunt, agricolae, opifices, mercatores, mercenarii, artis regiae partem sibi vindicare tanquam propriam conentur. At prohibet in medium aliorum ministrorum natio, tanta arrogantia inflata illa atque tumida, ut rempublicam suam maxime opera regi ac gubernari opinetur. In horum numero habendi sunt primum praecones, tum scribae publici, tum vates, qui vulgo deorum interpretes existimantur, denique etiam sacerdotes, qui in Aegypto adeo eum nacti sunt honorem, ut nullus rex sine sacerdotio imperare queat, ac si forte ex alio civium ordine oriundus sit, inter sacerdotes recipi necessario debeat. At enimvero haec quum vana sit et inanis hominum temere superbientium turba, tum ad eos accedit multiplex ista atque varia natio eorum, qui quum in profitenda artis civilis exercitatione revera maximorum praestigiatorum partes agant, tamen a viris vere regiis ac prudentia civili instructis aegre vulgo discernuntur. Hos igitur ab illis seiungere ac separare debemus, siquidem perspicere voluerimus perspicere id, de quo dudum quaerimus *).

Haec igitur Plato ea sermonis parte, quam ob eam causam, quam antea significavimus, dialecticam appellare non dubitavimus. Qua si quaeris quid ad rei propositae explicationem proficiatur, responsionem in promptu habemus. Constituit enim philosophus hic tanquam fines ac terminos, intra quos artis civilis laus atque virtus quaerenda sit, seiunctis iis omnibus, quae ab ea vide-

*) P. 287. B — 291. C.

rentur esse aliena. Quamobrem ei deinde area quasi purgata certius licuit de rebus civilibus disquirere, et ad id ipsum accedere, quod sibi potissimum exquirendum sumsisset. Quamvis igitur concedendum sit, istam operis partem eo potissimum spectare, ut ipsi dialecticae consulatur et quibus ea partibus emendari queat, tanquam per occasionem ostendatur, tamen non esse levia aut supervacanea quae hic de artis civilis et politicorum indole ac natura recte definienda disseruntur, nemo quisquam infitiabitur.

Atque hinc statim licebit ad eam dialogi partem considerandam transgredi, qua principale disputationis argumentum continetur, etsi eam supra cum ipso Platone tertio loco posuimus. Nam ad hanc a dialecticis illis divisionibus atque partitionibus pedetentim ita transitur, ut tanquam imprudentes ad aliam disserendi rationem pervenisse videamur. Quippe secernuntur quidem hic quoque ii, qui vulgo rerum civilium periti habebantur, a rege atque principe vere sapienti, sed secernuntur sic, ut simul disputatione vere Socratica et Platonica doceatur, quatenam sit eorum omnium insoles et ingenium, quae virtus ac dignitas, ideoque sic demum res plene perfecteque aperiatur, ut missa tandem illa dividendi subtilitate ad notionum coniunctionem perveniat. Quamobrem haec operis pars id ipsum tandem agit, ut quid de viris rerum civilium prudentia claris eorumque diversitate ac discrimine existimandum sit, quam accuratissime intelligatur. Quocirca age huius loci sententiam eiusque fontes excutiamus paullo diligentius, atque simul videamus, quatenus quae in eo exponuntur, cum iis consentiant, quae philosophus alibi de rebus civilibus earumque administratione exposuit. Inabit autem hic diligenter tenuisse, quod alios praeterisse sanequam mirum accidit, Platonem hac parte operis non tantum verum germanumque politicum, quem Graece dicimus, informasse, sed etiam eorum adumbrasse imaginem, qui honorificum illud nomen mala fraude vel ipsi sibi arrogare vel ab aliis accipere videbantur *). Quomodo igitur philo-

*) Non recte enim Schleiermacherus Proleg. ad Politic. p. 252.: „Was an Verschiedenheit (zwischen dem Sophisten und Politikus) aufzufinden ist, scheint nur daher zu rühren, dass im Sophisten der unmittelbare Gegenstand der Darstellung das Verwerfliche ist, in dem Staatsmann hingegen das Aechte und Fortreffliche.“ Rectius vir egregius iudicavit deinceps. Nec

sophus in eo dialogo, quem Sophistae nomine inscripsit, hunc ipsum distinxit a philosopho, ita quidem, ut sophistam, ab hoc segregatum, peculiari opere copiose depinxerit et illustraverit, philosophum autem alio tempore instituendum et informandum sumserit *); ita in Politico item falsi opinatique politici a vero germanoque, qui idem est philosophus, discernuntur, hoc tamen discrimine, quod una cum perfecti politici informatione etiam eorum coniungitur descriptio, qui quum in rerum publicarum tractatione versentur, tamen a verae artis civilis laude atque dignitate longissime abesse existimandi sint. Quod profecto non est cur miremur a Platone sic institutum esse. Nam quum Sophistae descriptio copiosiore sibi depoposcisset disputationem, tum idem multo magis etiam philosopho futurum esse videri debuit. Itaque scriptor utriusque peculiarem librum destinavit. Sed aliter res sese habuit de politico et adulterinis eius imitatoribus. Hos enim simul depingere Plato studuit, vel quia quod in praesenti esset exponendum, nec divellendum nec differendum videbatur, vel quoniam ipsum argumentum, utpote ad intelligendum facilius, putabat summam illustrari oportere. Itaque duplex erit nostra in hoc loco illustrando opera, quandoquidem primum quaerendum erit de perfecto rege, qui depingitur; deinde exploranda ea, quae de vulgaribus rerum publicarum gubernatoribus et administris exponuntur. Qua in re tractanda non inepte sic versaturi nobis videmur, ut quae de utroque argumento apud Platonem diversis locis exposita leguntur, ea in unum conferamus et perpetua disputationis serie illustremus. Videamus igitur primum de viri civilis eiusque veri et consummati imagine.

Quodsi igitur quaeris, unde philosophus in eo informando instituendoque perfectus sit, retulit etiam in

probamus Hertelium Comment. de Politico Platon. p. 17. ita scribentem: „Politici videmus exitum nihil ad distinctionem inter verum et falsum politicum pertinere, sed in alterius officio depingendo orationem ita versari, ut de falsi natura nihil amplius discamus. Nempe haesit ille unice in iis, quae legantur inde a p. 305. E.“

*) Magnopere enim errat Hertelius Comment. de Politico Platonis p. 16 sqq. Sophistam contendens etiam philosophi illustrandi causa conscriptum esse ideoque philosophum et falsum et verum depingere.

hoc libro, sicuti fecit in Republica, omnem artis civilis laudem atque dignitatem ad unam mentem rationemque tanquam praestantissimam ac vere divinam hominis partem *). Quocirca et in principio libri, ubi facta artium divisione exquiritur, quid ars civilis esse putari debeat, ab summo scientiae genere exorsus est **), et eo ipso loco, ubi de industria perfecta rerum publicarum gubernatio describitur, verum reipublicae gubernatorem tanquam sapientem informavit, qui in regenda moderandaque republica cum scientia versetur ***). Eo enim loco regem et principem reipublicae non vult esse talem, qui secundum leges et instituta patriae imperii habenas tractet; haec enim semper et esse et manere manca, imperfecta, perpetuis mutationibus obnoxia; sed illum demum censet esse bonum civitatis gubernatorem, qui eam gerat mentem eamque sapientiam possideat, ut quid in quavis rerum externarum conditione et singulis civibus et universae reipublicae vere profuturum sit, recte intelligat intellectumque ad sapientiae et iustitiae normam ratum facere studeat. Quod igitur Plato in libris de optima civitate indicavit, civitates tum demum beatas fore, si a sapientibus gubernentur; idem prorsus etiam eo Politici loco statuit, de quo nunc agimus. Quamquam in hoc libro huius sententiae suae rationes magis significavit quam uberius exposuit. Neque enim philosophi in rerum publicarum luce constituti imaginem expressit, sed tanquam adumbravit. Sed quid rei sit, clarissime docent quae in optima civitatis opere de eodem loco exposita leguntur. Neque enim Plato regem eum voluit esse, qui minima maxima quam accuratissime nosset; cuiusmodi scientiam philosophus certe admodum parvi aestimavit; sed qui omnia ad sapientiae, iustitiae, temperantiae, virtutis denique leges exigere et iudicare posset, eodemque nihil non referret. Itaque libro sexto praestantissimi operis †): Philosophi, inquit, quum habeant ipsius veritatis cognitionem, quid in civitate iustum sit, quid iniustum, accuratissime videbunt. Etenim flagrantissimo earum rerum, quae revera sunt, amore incensi etiam eas artes ac studia amabunt, quae ipsis vim

*) Egregius de hac re locus est De Republ. VIII. p. 551. C sqq.

***) P. 258. C sqq.

***) P. 291. C sqq.

†) Int. p. 484. A sqq.

aeternae illius *ovoiag* patefaciant. Ibidem *): Si forte acciderit, inquit, ut talis vir aliquando quamquam civitatem ad aeternam illam *ovoiag* speciem ordinet et componat, is certe erit optimus temperantiae, iustitiae, virtutis denique omnis dux atque magister. Quamobrem eidem etiam Boni Ideam cognitam esse oportere statuit, ad quam et ipse se componat et alios regat atque moderetur **). Sed omnino legendus est de his rebus divinus ille locus inde a libri V. p. 471. C sqq., quo sane nullum novimus qui dubiae rei plus lucis affundat. Hoc ipsum igitur philosophus etiam in Politico sibi voluit; idque maxime apparet ex illis quae p. 308. A sqq. d: munere et officio optimi civitatis gubernatoris disputavit. Nam ibi eum censet civitatis tanquam carmen quoddam ita contexere oportere, ut civium animos reddat participes divinitatis eosque recta honesti, boni, iusti cognitione imbuat, in quo uno cernatur optimum concordiae totius reipublicae vinculum. Quamquam nolumus diffiteri in Politico una ex parte rem aliter esse expositam atque in libris de optima civitate. Nam in his quum regem sapientem fecerit ideas intuentem, tamen in Politico istud ipsum ne verbo quidem significat, sed substituit in una sapientis descriptione, qui scientia eius, quod optimum sit, hoc est, boni, iusti et honesti, omnia regat et moderetur. At rem ipsam si spectamus, neutiquam secum ipso pugnare existimandus est. Enimvero in Politico quum idearum doctrinam, qualem in Phaedro, Symposio, Republica, aliis libris exposuit, omnino non attigerit, rem magis populariter et ad vulgarem hominum captum accommodare explicare voluisse censendus est. Sed tenuit tamen hic quoque quod in Republica censuit, uti homini mentem, ita civili imperio perfectam sapientiam praeesse oportere, quae omnia ad boni et honesti normam exigat ac dirigat, ut haec in re summa cernatur consensus eorum, quae in utroque opere explicata sunt. Nimirum certa fuit atque constans quum aliorum Socraticorum tum Platonis imprimis sententia, civitatem ad quam maximam contendere oportere sapientiae et virtutis praestantiam idque ipsum ei potissimum esse

*) Lib. VI. P. 499. D sqq.

***) Ibid. P. 505. A sqq.

propositum*). Eodem igitur Plato etiam artem prudentiamque civilem retulit, quam neququam voluit esse potentiae, opum, divitiarum comparandarum magistrum vel adiutricem. Quum vero virtutem in recti honestique scientia inesse sibi persuasisset, facile est ad intelligendum, cur perfectum regem atque principem eundem esse volnerit perfectum sapientem. Quanquam cum hac opinione, si verum quaerimus, etiam quandam Pythagoreorum sententiam videtur coniunxisse, a qua profectus talem potissimum informavit principem, qualem in Politico et Republica instituit. Etenim Pythagoreis legimus *legem aeternam sive rectam rationem* dici haberique consuevisse *πατέρα καὶ ἡγεμόνα τῶν γεγραμμένων νόμων* atque *βασιλέα*, amplissimi honoris nomine dignum, *νόμον ἐμψυχον* esse vocatum**). Talem igitur regem etiam Plato, Socratica doctrina cum hoc Pythagoreorum decreto coniuncta, instituit, quippe cui propriam esse voluerit eam mentem atque sapientiam, quae pro viva quasi eaque communi lege valeret.

Atque hinc explicationem suam habent quae de legibus publice sancitis iudicavit. Arbitratur enim civitatem eam, in qua talis sapiens imperii habenas tractet, legibus extrinsecus latis haudquaquam indigere, utpote regia prudentia ita fundatam firmatamque, ut illarum adminiculo facile sit caritura; quin etiam nefas esse ait talem regem, legibus civilibus longe superiorem, earum vinculis constringere velle. Nimirum haec quorsum spectent, et quibus rationibus nitantur, nunc facile intelligitur***). Ac ne forte putes Platonem haec in Politico

*) De ethicae et politicae apud veteres conjunctione v. De Geer De princip. Polit. Platon. p. 126.; Heeren. Ideen Vol. III. p. 235.; Wachsmuth. Hellen. Alterth. I. 1. p. 205.; Koepen. Politik nach Platon. Grundsätzen p. 2 — 35. et Platon. Gesetzgebung p. 210 sqq.

**) V. Valckenar. ad Herodot. III, 38. De Geerius De Princip. Politices Platon. p. 170.

***) Egregius est locus Lactantii Institut. Div. VI, 8. e Cicerone repetitus, qui non incommode huc revocabitur. „Est quidem, inquit, vera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; quae vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra iubet aut vetat, nec improbos iubendo aut vetando movet. Huic legi nec abrogari fas est neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest; nec vero aut per

tantum ita statuisset, plane eadem philosophus quum alibi *) tum in ipso Legum opere docuit libr. IX. p. 875. A. C., ubi inter alia sic scripsit: *ἐπεὶ ταῦτα εἰ ποτέ τις ἀνθρώπων γύσει ἱκανός, θεῖα μοῖρα γεννηθεῖς, παραλαβεῖν δυνατός*, (si ingenio satis valet ad cognoscenda ea, quae hominibus ad civitatem prosint, et ubi cognovit, optimum semper et vult et potest facere), *νόμων οὐδὲν ἂν δεοίτο τῶν ἀρχόντων ἑαυτοῦ ἐπιστήμης γὰρ οὕτε νόμος οὕτε τάξις οὐδεμία κρείττων, οὐδὲ θεῖος ἐστὶ νόον οὐδενός ὑπήκοον οὐδὲ δοῦλον, ἀλλὰ πάντων ἀρχοντα εἶναι, ἐάν περ ἀληθινός ἐλευθερός τε ὄντως ἢ κατὰ γῶσιν **).*

En cognovimus tandem, quam ingenii indolem quamque sapientiam Plato perfecto illi, quem finxit, rerum publicarum gubernatori propriam esse voluerit; vidimus item, quatenus quae in Politico de hac re exponuntur, cum iis concordent, quae de eodem argumento in aliis eius operibus sunt explicata; intelleximus denique etiam ex quibus fontibus ac principiis haec omnia ducta sint. Nec tamen iam omnia sumus persecuti, quae philosophus de perfecto rege disputavit. Nam praeter ingenii animique virtutem etiam munus et officium eius designandum iudicavit, quo clarior et illustrior eius species et imago redderetur. Hanc igitur sermonis partem ***) nunc item ita percenseamus, ut quidnam sit, quod hic tradatur, singulatim exquiramus ac pervestigemus; id quod

senatum aut per populum solvi haec lege possumus; neque est quaerendus explanator aut interpret eius alius; nec erit alia lex Romae, alia Athenis; alia nunc alia posthac; sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit; unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus; ille legis huius inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatus hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi cetera supplicia, quae putantur, effugerit. Quae prope sane ad Platonis sententiam accedunt.

*) Conf. De Rep. IV. p. 425.

**) Ac similiter Xenoph. Cyrop. VIII, 1, 22: *τὸν δὲ ἀγαθὸν ἀρχοντα βλέποντα νόμον ἀνθρώποις ἐνόμιζεν, ὅτι καὶ τῆστιν ἱκανός ἐστι καὶ ὄραν τὸν ἀτακτοῦντα καὶ κολάζειν.* Quamquam is vix videtur mente sua ad illam surrexisse sententiarum altitudinem et sublimitatem, quam in Platonica perfecti regis imagine admirari licet.

***) Legitur ea p. 305. D sqq.

etiam propterea necessarium putamus, quod quae hic traduntur, in iis non tantum Socherus, verum etiam Schleiermacherus vehementissime offenderunt *).

Profectus est igitur Plato in describendo optimi rerum publicarum moderatoris munere et officio ab ea sententia, quam etiam Pythagoreis probatam fuisse accepimus, nullam esse pestem civitatis graviolem, quam discordiam, qua universae reipublicae tanquam concentus turbetur. Nam nobilissima est et plurimum celebrata Samii sententia, in omnibus rebus plurimum valere harmoniam, ideoque nihil studiosius esse vitandum quam iustae mensurae perturbationem, quae in civitate cernatur in discordia. Pertinent huc quae narrantur apud Iamblichum Vit. Pythag. §. 34. §. 130. §. 175. §. 205. **). Porphyrium §. 22. et Stobaeum Florileg. T. II. p. 110 sq. ed. Heeren. Eandem vero etiam Platoni placuisse vel unus ille locus satis testatur, qui est Reip. V. p. 462. A. ubi summum civitatis honum in eo positum esse indicatur, ut sit una atque concors omnesque cives habeat consentientes eodem modo, quo singulae unius corporis partes inter se conveniant ***). Ab hac igitur sententia profectus philosophus regi optimo, quem fluxit, id propositum esse debere statuit, ut in civitate quam maxima efficiatur omnium civium ad unum eundemque finem contententium consensio atque

*) Socherus enim p. 273. plura Platonis doctrinae contraria hic deprehendisse sibi visus est; de quibus singulis deinceps explicabitur. Schleiermacherus autem Praefat. ad Politic. p. 256. arbitratur, Platoni in describendo viri civilis munere et officio unice discordias ac seditiones Graecarum civitatum ob oculos esse versatas, atque inde explicari oportere, cur totus hic locus tam exilis sit argumenti, ut philosophandi subtilitas fere desideretur.

***) Primo loco Pythagoras narratur praecipisse: *φυλακτικόν νόμον μηχανῆν καὶ περιουσίαν ἀνδρῶν καὶ αἰδήσει καὶ μηχαναῖς παντοίας ἀπὸ μὲν ἀσφαλείας νόστος, ἀπὸ δὲ φυχῆς ἀμείβειαν, κοιλίας δὲ πολιτικῆς, πόλεως δὲ στάσεων, ὁμοῦ δὲ πάντων ἀμετρίας*. Altero dicitur dicitasse *μηδὲν εἶναι μῆζον κακὸν ἀναρχίας*.

***)) Legg. III. p. 701. D: *ἔλθετεν ὡς τὸν νομοθέτην δεῖ τῶν στοιχαζόμενον νομοθετεῖν, ὅπως ἡ νομοθετημένη πόλις ἐλευθερία τε εἴη, καὶ φιλῆ ἑαυτῆς, καὶ νοῦν ἔξει*. Ibid. p. 693. B. *τὴν πόλιν ἐλευθερὰν τε εἶναι δεῖ καὶ ἑμφορὰν καὶ ἑαυτῆς φιλῆν*. Ibid. libr. V. p. 739. C sqq. De Rep. IV. p. 422. E. Sententiam Platonis exagitavit acerrime Aristoteles, de quo v. Patricii Discuss. Peripatet. p. 350 sqq.

concordia. Quae quidem qua causa et ratione secundum eius sententiam nihil debeat, nemini cuiquam dubium erit, qui Platonem meminerit in ea fuisse sententia, ut ultimum civitatis finem non in potentia vel divitiis vel vitae incunditate, sed in adiuvanda promovendaque civium virtute humanaeque naturae perfectione positum esse existimaret, quippe qua una efficeretur vera eius felicitas. Itaque rerum publicarum rectori et gubernatori indicavit tanquam virtutis quoddam carmen esse efficiendum, quo uno civitatis universae concentus maxime contineretur. Quod ipsum etiam in Politico est sequutus, sicuti ex eo apparet clarissime, quod cives inprimis divinis boni, iusti et honesti vinculis coniungendos esse statuit; de qua re mox erit dicendi locus. Atque haec quum ita indicaverit, facile intelligitur, cur duas maxime partes eius muneris et officii distinxerit, quod perfecto regi attribuit, alteram explorandi ac discernendi, alteram coniungendi. Nam primum quidem arti civili censet id propositum esse oportere, ut bona et mala discernantur et quae concentum civitatis videantur perturbatura esse, quantum fieri possit, reiciantur atque amoveantur. Deinde autem id eius vult munus esse proprium, ut bona apte coniungantur ac similia cum dissimilibus scite concilientur, quo existat totius reipublicae quam maxima convenientia atque unitas. De utraque igitur separatim explicandum erit, quo certius cognoscatur philosophi sententia, et si quae sint de ea dubitationes, eae quibus causis nitantur, ab omnibus intelligatur.

Proprium igitur arti civili ante omnia hoc munus censet philosophus, ut puerorum et adolescentium ingenia atque animos diligenter exploret et cognoscat. Nulla, inquit, ars est, quae non in operibus suis componendis fabricandisque sola bona deligat, mala, quantum fieri possit, arceat et removeat: quo facto eadem curat, ut ex iis, quae bona sunt, similia atque dissimilia quam aptissime in unum coniungantur. Nam hoc demum modo poterit fieri, ut cuiuscunque operis perfecta aliqua species et imago effingatur. Idem igitur etiam arti civili propositum esse debet, quae volens certe nunquam id committet, ut civitatem aliquam ex bonis et malis civibus componat. Quocirca ea primum quidem singulorum indolem atque animum explorabit; tum vero exploratos recte institui curabit atque erudiri. Eumvero sicuti ars textoria carminantibus aliasque res ad texturam necessa-

rias tractantibus sedulo adest ac talia quemque iubet facere, qualia operi suo sint convenientia; sic etiam ars regia magistros atque educatores diligenter observabit, neque permittet, ut ea faciant, quorum tractatione animi adolescentium ab ipsius tanquam temperatione alieniores reddantur. Haec igitur Eleates de puerorum et adolescentium institutione ac disciplina *). Quam quod totam reipublicae rationibus accommodari vult, id profecto nemo institiabitur prorsus consentire cum iis, quae de eodem argumento in Politia atque Legibus exposita leguntur. Nam in utroque hoc opere item docuit philosophus, reipublicae plurimum interesse, ut iuvenes quam optime erudiantur atque educantur **); imo etiam ea imperavit, quae libertati civili utique adversari videantur ***). Quocirca in his nihil quidquam reperiri putamus, quod cum Platonis ratione atque doctrina, aliunde cognita, pugnare existimandum sit. At secus de iis visum est, quae praeterea de puniendis vel efficiendis iis disputantur, qui invicta ingenii pravitate ad vitia atque scelera ferantur †). Haec enim ex Platonis sententia ita statui potuisse Socherus ††) propterea negat, quod isto modo principi civitatis ea adeo potestas tribuatur, ut civis vi et crudelitate ad virtutem amplectendam exercendamque adigere queat. Enimvero novimus sane Platonem virtutis praestantiam ac dignitatem omnem in libero ra-

*) Pag. 308. A. C. D. E.

**) V. Morgenstern. De Platonis Republica p. 199 sqq., ubi docet civitatem Platoniam esse quasi educationis publicae scholam. Conf. Legg. VII. p. 804. D. et VII. p. 813. D. ὡς εἰς τραπεζῶν καὶ γυμνασίων τῶν πῶν πάντα ἡμῖν καὶ ἰσοθῶν κλει. Dissensit igitur Plato quodammodo a Solone, quem novimus institutionem puerilem eatenus tantum legibus suis complexum esse, quatenus modestia, probitas ac pudicitia puerorum tuenda videretur; reipublicae nullam duxisse ea in re rationem. Notae sunt istae Solonis leges ex Aeschin. Orat. in Timarch. §. 9 sqq. Nihilominus tamen cum Attico legislatore in eo convenit, quod et ipsius reipublica et illius leges ad institutionem juvenilem pertinentes ex ethice principiis ductae sunt.

**) V. Morgenstern. l. c. p. 197 sqq. p. 237 sqq.

†) P. 308. E. 309. A.

††) De Scriptis Platon. p. 273. „Auch die dem Staatsregenten beigelegte Macht, nach seiner Einsicht zum Guten zu zwingen, stimmt nicht mit Platon überein, der überall nur freiwilliges Gutes anerkennt.“

tionis usu et voluntatis honestate positam iudicavisse. At quid hoc impedit, quominus quosdam sibi persuaserit adeo ipsa naturae et ingenii sui indole ad omnem abiectos esse pravitatem, ut corrigi et ad bonam frugem perducere vix posse viderentur? Hos igitur si pro pravitate ratione et modo voluit a rege suo civitatis quam optimae conditore vel eici in exilium vel suppliciiis affici vel inter servos referri, num id ipsius sententiae adversari arbitrabitur? Nimirum non meminit Socherus similia certe etiam in Politia pronunciari. Quid enim? nonne ibi filii civium primi et secundi ordinis, hoc est magistratum atque militum, simulatque a parentum virtute desciverint, protenus in tertii ordinis humilitatem deiciendi esse dicuntur *)? Num igitur philosophus ibi quoque virtutis colendae exercendaeque libertatem sustulisse iudicandus erit? Et quis est qui inficietur etiam in libris de optima civitate magistratibus, qui ibi optimi regis partes agunt, imperium concedi paene immensum nullisque finibus circumscriptum, ita ut soli omnem reipublicae administrandae curam gerant et legum ferendarum atque exequendarum potestatem habeant **)? Sed vix est cur hanc viri docti opinionem operosius confutemus, quum facile appareat, cur Plato optimo regi suo tantam potestatem concesserit. Minxit enim eum ipsius rationis perfectae quasi vicarium, qui omnia sapientiae et iustitiae convenienter facturus sit, ideoque similem esse dixit alicui navis gubernatori, qui quid in navigando expediat, nautis ceteris omnibus melius videat et intelligat. Quamobrem nihil profecto hic deprehenderis, quod vel summi philosophi ingenio indignum vel eius doctrinae contrarium esse iudicandum sit. Sed videamus nunc de altera parte muneris ab eo viro rerum civilium vere perito impositi.

Censuit igitur Plato ad efficiendam universae civitatis consensionem et quasi concordiam nihil esse vel gravius vel efficacius, quam ut animi civium, qui aut ad fortitudinem aut ad temperantiam sicut procliviores, tanquam iusto quodam temperamento in unum coniungantur,

*) Libr. III. p. 415. B. C. Possis huc etiam infantum expositionem et alia similia referre, de quibus dixit Morgenstern. l. c. p. 229.

**) V. Morgenstern. l. c. p. 182 sqq.

In eaque re voluit eum, qui rationem civilem teneat, vel maxime occupatum esse. Quae sententia uti Schleiermachero admodum leuina et exilis visa est*), ita Socherio aliis de causis magnae fuit offensioni. Is enim illam censuit adversari iis, quae philosophus alibi, maximeque in Gorgia et Protagora, de virtutis unitate ac simplicitate gravissimis verbis disputavit**). At enim vero tantum abest, ut hac in re viri acutissimi iudicio accedamus, ut longissime ab eo recedendum existimemus. Nam ego si quid iudicare possum, in Politico non de fortitudine ac temperantia ut virtutibus inter se contrariis et oppositis agitur; sed discernuntur potius duo nativi habitus ingeniorum, ut non tam de ipsa virtute quam de naturali ad virtutem indole vel de vulgari virtute in hominibus a philosophia alienis conspicua disseratur. Distinguuntur enim ingenia animosa et vehementia a temperantibus atque mansuetioribus; utraque autem tam ad vitia quam ad virtutem proclivia iudicantur, siquidem illa non modo ad fortitudinem, verum etiam ad ferociam, petulantiam, perniciam, haec autem ad mollitiem et ignaviam non minus quam ad temperantiae virtutem natura comparata esse dicuntur***). Quocirca Platonis iudicio regi atque principi sapienti id maxime agendum est, ut varia ista et contraria animorum inclinatio prudenter regatur atque sic temperetur, ut quam maxima efficiatur totius civitatis consensio, declinatis vitiis omni-

*) Praefat. ad Politic. p. 255 sq., qui inter alia haec excusat sic: „Besonders aber mögen sie sich erinnern lassen (die solches Resultat für dürftig Ansehenden), dass in unserm Gespräch ganz dieselbe Verflochtung und Zusammensetzung statt findet, wie in dem vorigen, und dass sie daher nicht vergeblich in dem, was bloss als Abschweifung und beiläufig gegeben wird, die wichtigsten Aufschlüsse suchen dürfen.“

***) Nam in opere De Scriptis Platon. p. 273. sic scribit: „Die Entgegensetzung und Trennung zweier Tugenden harmonirt nicht mit den Dialogen Protagoras und Gorgias; im erstern wird Einheit der Tugend gefordert, im letztern ausdrücklich behauptet, dass, wer mässig sei, eben darum auch tapfer sei.“

*) Intelligitur ergo, ut diximus, virtus δημώδης, quae eleganter describitur Legg. IV. p. 710. A. τὴν δημώδη γὰρ (λέγω σωφροσύνην), καὶ οὐχ ἢν τε σεμνύουσαν ἢν λέγουσι, φρόνησιν προσημαγομένην εἶναι τὴν σωφροσύνην, ἀλλ' ὅπερ ἐδ' ἔστι παιδοὶ καὶ θεοῖσι, τοῖς μὲν ἀκαταρτῶς ἔχειν πρὸς τὰς ἡδονὰς, ἔμφροτον ἐπανθεῖ, τοῖς δὲ ἐγκρατῶς.

bus, quae facile inde oritura sint. Atque hanc sententiam existimamus non modo in se nihil habere, quod absurdum aut ineptum sit, verum etiam cum Platonis ratione conspirare amicissime. Nam eandem ille amplectitur etiam libro II. de Republ. p. 374. E sqq. coll. Tim. p. 18. B. ubi posteaquam in deligendis civitatis custodiis ita versandum esse docuit, ut praeceptentur ij, quorum natura et indoles ad belli negotia maxime idonea sit, graviter admonet, hanc rem magnam requirere cautionem: nam istiusmodi ingenii homines facile ferri ad protervitatem et petulantiam; itaque curandum esse, ut educationis ope reddantur tales, qui cum animi fortitudine etiam mansuetudinis et sapientiae moderationem coniunctam habeant. Secutus item est Ibid. libr. III. p. 410. B sqq., quo loco gymnasticam praecipit cum musica ideo coniungi oportere, ut iustum animositatis et mansuetudinis temperamentum in animis efficiatur: nam qui gymnasticae tantum operam dent, eos evadere solere iusto ferocios atque agrestiores; qui vero unam sectentur musicam, eos facile mollescere et eseminari. Sed quid singula enumero, quum ad integros libros Legum provocare liceat, qui certe magno opinionis errore nuper pro subditio Platonis opere habiti sunt? In his enim*) philosophus copiosissime docuit in constituendis civitatibus id maxime curandum esse, ut cum fortitudine civium etiam temperantia consocietur, et quo modo id in Dorica civitate, quam ibi pro fundamento reipublicae suae posuit, effici queat, perspicue declaravit. Atque haec quum ita sint, facile iam apparebit, quo iure Plato sapienti suo civitatis gubernatori et publicae felicitatis tanquam tutori hoc muneris et officii inunxerit, ut varia civium ingenia formandis flectendisque eorum animis ad concordiae unitatem et constantiam temperare debeat. Neque enim illi unquam aliter de his rebus persuasum fuit. Quid quod nec alii viri prudentes ab eius iudicio hac in causa discessisse reperiuntur? Nam ut Pythagoreos taceamus, qui etiam de his similiter sensisse vi-

*) Pertinent huc maxime libri duo priores, sique fere integri. Zellerum Legum opus post Astium pro adulterino habentem nescio quae ingenii intemperies ngitaverit. Qui si attendisset ad ea, quae de huius scripti fati a veteribus tradita sunt, multo certe aliter erat iudicaturus.

dentur, etiam Xenophon, Polybius, alique eandem plane sententiam amplexi sunt, ut paene communis Graecorum sapientiam fuisse videatur *). At vero, inquit aliquis, hoc ipsum tamen satis mirum est et philosopho paene indignum, quod post tam longas disputationis ambages denique nihil aliud expromitur praeter vulgarem istam et paene popularem sententiam, qua artis civilis operam maxime in miscendis temperandisque variis hominum ingenii versari oportere indicatur. Audio, et facile largior esse utique maximam huius sententiae simplicitatem, facilitatem, perspicuitatem. Sed idem ego arbitror summam esse eiusdem gravitatem, ut adeo Platoni tanquam viam et aditum ad omnem doctrinam suam civilem patefecisse videatur. Enimvero reputandum hic est diligenter, qua ratione summus philosophus illam civium natura et ingenio inter se dissimilium consensionem effici voluerit. Quod certe ita fieri iussit, ut hic non vulgare hominum iudicium, sed mentem vere excelsam et sublimis ingenii homine vere dignam agnoscere debeamus. Censuit enim animos civium ante omnia divino quodam colligandos esse vinculo. Quod si quaeris, quam in re cernatur, ipsius verbis respondere liceat, esse illud τὴν τῶν καλῶν καὶ δικαίων περὶ καὶ ἀγαθῶν καὶ τῶν τούτοις ἐναντίων ὄντως οὐσαν ἀληθῆ δόξαν μετὰ βεβαιώσεως **). Quin etiam in connubiis conciliandis, aliisque rebus similibus, in quibus humanum reipublicae contineri vinculum voluit, plurimum valere iudicavit, ut omnes de rebus ad virtutem pertinentibus idem sentiant. Nam τούτους δὴ τοὺς δεσμούς (humanos), inquit, ἔλεγον ὅτι χαλεπὸν οὐδὲν ξυνοδεῖν ὑπάρξαντος τοῦ περὶ τὰ καλὰ καὶ ἀγαθὰ μίαν ἔχειν ἀμφοτέρω τὰ γένη δόξαν (p. 310. E.). Quae quis est quin videat utique ad summum illum finem spectare secundum Platonem civitati propositum, qui in excolenda humanitate atque virtute promovenda cernitur?

Iam vero si res sic sese habet, ne illud quidem negare quisquam audebit, in hoc libro quasi stamina quaedam inesse eorum omnium, quae philosophus in libris de

*) De hac re non est quod post Schlosserum in libro: *Universalhistor. Uebersicht d. Geschichte d. alten Welt* Vol. I. P. III. p. 279 sq. et Hermannum *Histor. Philos. Platon.* Vol. I. p. 662. denuo exponamus.

***) V. Politic. p. 309. C.

optima civitate et de legibus exposuit. Nam Socherus certe nec in eo est audiendus, quod optimam illam Platonis civitatem in libris de republica conditam aliis nisi principibus quam quae in Politico illustrentur arbitratus est *). Quippe in Politico philosophus nihil egit aliud, quam ut viri perfecta scientia civili praediti indolem atque munus describeret; civitatis optima copiosam descriptionem non exhibuit; quamquam quae in libris Reipublicae de optima civitate disseruntur ex his tanquam initiis facili negotio deduci potuerunt. Etenim in Politico Plato informavit sapientem ut optimum reipublicae ducem et moderatorem; civitatis finem in virtutis honestatisque cultu positum esse significavit, quamquam nondum indicavit, quibusnam civium ordinibus haec vel illa virtus praecipue attribuenda sit; denique etiam illud ostendit, quid in iis rebus sit maxime respectandum, quae ad hominum varias necessitudines et coniunctiones maxime pertineant. Quae quidem omnia quantopere cum iis conveniant, quae in Reipublicae opere exponuntur, certe iis clarum erit ac perspicuum, qui perfectae illius civitatis, quam ibi finxit, tanquam imaginem quandam animis suis impressam teneant.

Vidimus igitur nunc atque intelleximus, quodnam munus Plato viro in civilibus rebus tractandis sapienter occupato iniunxerit, et quamobrem ita iudicaverit: vidimus item hanc opinionem cum ceteris eius operibus adeo conspirare, ut nihil magis possit. Restat ut paucis ostendendum sit eam expositionem simul etiam ad animi virtutem qualem voluit in perfecto civitatis moderatore esse conspicuam, recte informandam describendamque valere. Nam quales Plato statuit ab eo reddendos esse cives omnes atque singulos, talem etiam ipsum principem esse oportere iudicavit. Quamobrem hunc et ipsum ita moratum esse voluit, ut duplici animi indole insignis habeatur, strenua fortitudine ac miti ingenii lenitate sapientia temperata. Quorum omnium si quid desideretur aut non satis recte mixtum temperatumque sit, principem et magistratum ait ad rempublicam gerendam existere non satis idoneum.

Et plane cum his concordant quum alia tum illa

*) V. l. l. p. 273.

Legg. IV. p. 709. E sqq.: φέρε δὴ, νομοθέτα, πρὸς αὐτὸν (legumlatorem) φῶμεν, τί σοι καὶ πῶς πόλιν ἐχούσαν δῶμεν, ὃ λαβὼν ἕξεις ὡστ' ἐκ τῶν λοιπῶν αὐτὸς τὴν πόλιν διοικῆσαι; τί τὸ μετὰ τοῦτ' εἰπεῖν ὀρθῶς ἔστιν; — Τὸδς· τυραννοῦμένον μοι δοτε τὴν πόλιν, φήσει, τυραννος δ' ἔστω νέος, μνημιῶν καὶ εὐμαθῆς καὶ ἀνδρείος καὶ μεγαλοπρεπῆς φύσει. ὃ δὲ καὶ ἐν τοῖς πρόσθεν ἐλέγομεν δεῖν ἐπεσθαι ζύμπασι τοῖς τῆς ἀρετῆς μέρεσι, καὶ νῦν τῇ τυραννομένη ψυχῇ τοῦτο ξυνεπέσθω, ἐὰν μέλλῃ τῶν ἄλλων ὑπαρχόντων ὄφελος εἶναι τι. — Σωφροσύνην μοι δοκεῖ φράζειν δεῖν εἶναι τὴν ξυνεπομένην ὃ ξένος, κ. τ. λ. Ταύτην τοίνυν ἡμῖν ὁ τυραννος τὴν φύσιν ἐχέτω πρὸς ἐκείναις τάξιν φύσει, εἰ μέλλει πόλις ὡς δύναιτον ἔστι τάξις καὶ ἀριστα σῆσει τὴν πολιτείαν, ἣν λαβοῦσα εὐδαιμονέστατα διαῖξει. Nimirum ibi legislator civitatem novam, quaeque ad perfectae civitatis similitudinem quam proxime accedat, conditurus ista omnia postulare debere dicitur, quemadmodum artifex aliquid postulet, quod iam paratum et praesto esse debeat, si opus suum feliciter sit perfecturus.

Ita igitur facile apparet et mentem ac sapientiam, et officium eius atque animi moderationem, quae in ipso esse debeat, egregie esse depictam, ut vix quisquam habiturus sit quod amplius in eius specie et imagine consideret.

Sequitur ut quaerendum sit, quidnam philosophus inter virum civili scientia ornatum atque illos, qui vulgo civilis virtutis laude florebat, interesse iudicaverit*). Cuius rei iudicium itidem repetit ex discrimine optimae illius civitatis, in qua recta sapientis ratio pro communi lege valet, et earum rerum publicarum, quibus vulgo homines utuntur. Quocirca distinguuntur vulgares civitates ab hominibus constitutae a vera illa atque optima; declarantur earundem origines; exponitur quatenus alia possit aliis esse vel deterior vel praestantior; denique aestimatur dignitas eorum, qui vulgo rerum civilium prudentia pollere putantur, oratoribus, iudicibus, imperatoribus ab civilis artis laude atque virtute omnino depulsis. Censet autem philosophus veram civitatem et quasi ger-

*) Explicatur de hac re inde a p. 297. B.

manam unam esse illam, in qua sapientis arbitrio, hoc est perfecta ratione, omnia gerantur et administrantur; reliquas huius ipsius arbitratur esse quasi quaedam simulacra, ducta ex optimae illius imitatione. Quod ipsum etiam alibi pronuntiavit. Sic enim De Rep. VI. p. 497. A sqq., ubi inter alia: εἰ δὲ λήψεται (ἢ φιλόσοφος φύσις) τὴν ἀριστην πολιτείαν, ὡςπερ καὶ αὐτὸ ἀριστην ἔστι, τότε δηλώσει, ὅτι τοῦτο μὲν τῷ ὄντι θεῖον ἦν, τὰ δὲ ἄλλα ἀνθρώπινα, τὰ τε τῶν φύσεων καὶ τῶν ἐπιτηδεύματων. Legg. IV. p. 709. E sqq. 711. D. sqq. Etenim Platonis sententia imbecillitas hominum genuit civitates eas, in quibus pro sapientis mente et ratione legum publicarum valet auctoritas. Namque homines cum optimi illius regiminis praestantiam mente sua non caperent ideoque desperarent futurum unquam esse, ut talis sapiens inter ipsos existeret; protenus ad legum usum confugerunt atque condiderunt eas respublicas, quae unice illarum vinculo continerentur. Itaque necessitate quadam factum esse ait, ut orirentur civitates perfecta illa multo deteriores, quandoquidem mutae illae atque rigidae legum perscriptarum praeceptiones ad vitam rationis totam rempublicam tanquam animantis vocem nihil comparandae sint*). Eandem prorsus sententiam habes Legg. libr. IX. p. 875. A sqq., unde haec apposuisse iuvabit: ἐπεὶ ταῦτα (τὰ ξυμφέροντα ἀνθρώποις εἰς πολιτείαν) εἰ ποτέ τις ἀνθρώπων φύσει ἱκανός, θεῖα μοῖρα γεννηθείς, παραλαβεῖν δυνατός εἴη, νόμων οὐδὲν ἂν δέοιτο τῶν ἀρχόντων ἑαυτοῦ· ἐπιστήμης γὰρ οὔτε νόμος οὔτε τάξις οὐδεμία κρείττων, οὐδὲ θέμις ἔστι νοῦν οὐδενός ὑπήκοον οὐδὲ δούλον, ἀλλὰ πάντων ἀρχόντα εἶναι, ἐὰν περ ἀληθινός ἐλευθερός τε ὄντως ἢ κατὰ φύσιν· νῦν δὲ οὐ γὰρ ἔστιν οὐδαμῶν οὐδαμῶς ἀλλ' ἢ κατὰ βραχὺ· διὸ δὴ τὸ δεύτερον αἰοετέον, τάξιν τε καὶ νόμον, ἃ δὴ τὸ μὲν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ὀρεῖ καὶ βλέπει, τὸ δ' ἐπὶ πάν ἀδυνατεῖ. Ibid. p. 876. A sqq. V. p. 739. A sqq. Atque hinc liquido sane apparet, cur Plato post libros de optima civitate etiam Legum opus litteris consignaverit. Nam optimam illam civitatem, quam finxit, non putavit unquam in ipsa hominum vita extitutam, sed tanquam exemplar quoddam

*) Praeclarus de hac re locus est p. 297. D E sqq.

proposuit, in quo et optimi hominis et perfectae civitatis imago atque species expressa cerneretur. De qua re ipse explicat loco notissimo Reip. V. p. 471. C sqq. ubi Glaucō a Socrate postulat, ut tandem eiusmodi civitatem condi revera posse ostendat: clarius etiam libro IX. p. 592. A. B. disserit, inter alia his utens verbis: *αὐτῇ δὲ ἡ πόλις ἐν λόγοις κεκμηνη, ἐπεὶ γῆς γε οὐδαμῶς οἶμαι αὐτὴν εἶναι; ἀλλ' — ἐν οὐρανῷ ἰσως παρὰδειγμα ἀνάκειται τῷ βουλευμένῳ ὅσῳν καὶ ὁρῶντι ἐαυτὸν κατοικίζεσθαι, διαφέρει δὲ οὐδὲν εἴτε πῶς ἐστὶν εἴτε ἔσται.* Quocirca etiam eam condere civitatem animum induxit, quae quum leges haberet, tamen quam proxime ad optimae illius reipublicae laudem ac praestantiam accederet: cui deinde etiam tertiam adiungi posse vidit, quae fundamento verae innixa reipublicae rerum suarum constitutione uteretur pro temporum locorumque rationibus emendata *). Haec omnia igitur Plato quo tempore Politicum scripsit, iam adeo habuit explorata, ut eorum omnium, quae postea temporis de his rebus meditata est, in hoc libro quasi initia quaedam reperiri existimemus. Nam et optimae civitatis speciem non quidem descripsit, sed leviter adumbravit, et verae reipublicae, ad illius praestantiam quam proxime accedentis, fecit quandam designationem, et reliquas descripsit civitates humanas ostenditque quanto intervallo singulae ab optima republica distare existimandae sint.

Sed redeamus in viam. Vidimus igitur, qualem Plato originem humanarum civitatum esse voluerit. Sequitur ut quid de earum dignitate senserit, explicari oporteat **). Et optimam quidem ex his, quamvis perfectae illi longo demum intervallo proximam, uti par fuit, indicavit eam, in qua leges publicae a sapientibus viris scriptae sint. Etenim legem sapientem censuit menti et rationi cognatam et quasi eius vicariam esse, sicuti ipse ait Legg. IV. p. 713. E. XII. p. 957. C. Quapropter etiam eos, qui talibus legibus utentes easque religiose observantes rempublicam tractent, perfecto illi regi, quem optimae civitati praefecit, non absimiles esse ar-

*) V. Legg. l. c. p. 739. A sqq. et quae de his exposuerunt Boeckhiius in Plat. Min. p. 65 sqq. Morgensternius De Republ. p. 179 sqq. et p. 284.

***) De his exponitur p. 301. A sqq.

bitratur; quanquam eosdem, quum illum tantummodo imitari videantur, non exiguo intervallo illi postponendos statuit. Sed accedere praeterea etiam hoc oportere censeat, ut leges semel perlatas et religiose custodiantur et caute immutentur, si qua earum mutandarum incidat necessitas. Quocirca populi multitudini legum rogandarum libertatem omnem omnino adimit, quandoquidem nunquam futurum esse arbitratur, ut maior aliquis hominum coetus artem civilem aut probabiliter percipiat aut recte teneat *); unis viris prudentibus illud tanquam proprium opus attribuit. Fuit igitur, sicuti apparet, in ea sententia, ut nec magnae multitudinis rerum gravissimarum iudicium committendum nec novandae libidini ullo modo indulgendum esse censeret. Quod ut ita statueret, inprimis effecisse videtur popularis imperii licentia, quae quum in aliis Graeciae civitatibus tum maxime Athenis ita grassari coeperat, ut nec legum et magistratum salva constaret auctoritas nec immutandae reipublicae cupiditatis, qua furiosa plebis multitudo tanquam morbo aliquo correpta fuit, finis ullus futurus videretur. Et confirmari eius hac de re iudicium potuit etiam iis, quae Pythagorei in eadem causa censuerunt. Nam Pythagoram constat plebi in republica adeo nihil concessisse, ut Ninoni, fraude utique turpissima, comminisci liceret, philosophiam viri totam nihil esse aliud nisi factam contra plebem conspiracyonem quandam, eoque furorem populi concitare, sicuti scribit Apollon. ap. Iamblich. §. 260. Nimirum philosophus Samius persuaserat sibi penitus hoc: *φῶλος κοίτης παντὸς καλοῦ πράγματος ὄχλος.* Quamobrem idem monebat identidem, in legibus et institutis patriis vel tum esse permanendum, si ceteris essent deteriores; neque enim bene consulere patriae eos, qui rebus publicis novandis indulgerent: de qua re quae apud Stob. Florileg. T. III. p. 115. et apud Iamblich. Vit. Pythag. §. 176 sqq. leguntur, ea ex Aristoxeno hausta esse demonstravit Mahnius De Aristox. p. 104. Et vero etiam quotidie suos cohortabatur *νόμῳ τε βοηθεῖν καὶ ἀνομίᾳ πολεμεῖν*, ut est apud Iamblich. §. 100. 171. 225. Videmus igitur ex his clarissime, etiam hac in causa Platoni cum Pythagoreis prorsus convenisse: quod etsi per se leve est, tamen observare

*) V. p. 300. E.

non inutile videbatur propterea, quod etiam alibi in hoc libro vestigia rationis Pythagoricae extare animadvertimus *). Pergimus nunc tandem ad ea, quae philosophus de singulis verarum civitatum generibus exposuit.

Distinxit igitur, vulgarem secutus rationem, quam tamen ipse quodammodo corrigit et reprehendit ubi rem non tam ex imperantium multitudine quam ex scientiae possessione iudicandam esse significat **), tria genera civitatum, prouti aut uni tribuatur reipublicae regendae consilium, aut delectis quibusdam, aut suscipiendum sit multitudini atque omnibus ***). Unumquodque horum rursus duplex esse posse dicit, prouti legum auctoritas aut sancta habeatur aut lubricose negligatur. Nam penes unum ubi sit rerum omnium summa, aut regnum aut dominationem sive tyrannidem inde existere; ex eadem re, ubi delectis summa rerum potestas sit, oriri aut optimatum imperium, quod Graece vocatur aristocratia, aut imperium paucorum sive *ὀλιγαρχίαν*; denique in civitate populari, in qua omnia sint in populo, ex legum vel reverentia vel neglectione et contemptu duplex populi imperium nasci, quod communi nomine democraticae vocetur, quum tamen pravum a recto distingui oporteat †). Usitatam hic diximus a Platone usurpari varia

*) De Platone democraticae osore cum hoc loco Politici p. 297. B — 300. E. utiliter comparaveris Reipubl. VIII. p. 557. A — 558. C. ubi praeclara democraticae descriptio est, qua carpi reipublicam Atheniensium manifestum putamus. Conf. etiam Reip. VI. p. 493. A sqq. Hoc igitur ochlocratiae odio inflammatus philosophus in optima civitate sua populum a reipublicae cura et administratione omnino prohibuit.

***) Polit. p. 291. C sqq.

****) De variis reipublicae generibus ex sententia veterum v. Aristot. Reip. III. 7 sqq.; Cicero. Legg. III. 7. De Rep. I. 16 sq.; Tacit. Ann. IV. 33. et Luzac. De Socrate Cive p. 63 sqq.; Huellmann. Staatsrecht des Alterthums p. 111.; Schoemann. Antiquität. Iuris publ. Graecor. p. 55 sqq.

†) V. p. 291. C sqq., ex quo loco luculente apparet *ὀχλοκρατία* nomen Platonis aetate nondum in usu fuisse. Nec illo usus est usquam Aristoteles. Nimirum frequentatum est demum inde a Polybii aetate, qui habet libro VI. 4, 6. 57, 9. Aristoteles Polit. III. 5. §. 1 — 4. laudabilem popularis imperii formam *πολιτείαν*, deteriorem eius speciem *δημοκρατίαν* appellat.

civitatum genera distinguendi rationem. Quod tamen secus visum est Sochero, cui scrupulum iniecit, quod Plato libro VIII. de Republ. p. 543 sqq. aliud quid secutus est *). Nimirum hoc vere est illud, quod in proverbio dicitur, nodum in scirpo quaerere. Nam in libris de optima civitate quoniam quaeritur quomodo respublica morata esse possit, philosophus disputationis institutae consilio convenienter, pro ingeniorum diversitate uni illi optimae civitati, unde item perfectissima cognosceretur hominis natura, quattuor pravas reipublicae formas opposuit, quae eadem etiam in singulorum hominum ingeniiis atque moribus expressae cernerentur. Quocirca prudenter ibi distinxit timocratiam, oligarchiam, democratiam et tyrannidem, ex quibus primam inter corruptas optimam, ultimam autem longe pessimam arbitratur **). In Politico autem taxaturos eos, qui in civitatibus vulgaribus civilis prudentiae laude excellere putantur, fieri paene non potuit quin etiam vulgarem de variis rerumpublicarum formis opinionem sequeretur ***). Neque ratione caret, quod paullo aliter rursus in distinguendis variis imperii atque civitatum generibus versatus est libro III. Legg. p. 693 sq. Ibi enim regii imperii formas fecit tres: *βασιλείαν*, quae una esset legitima ac laudabilis, *δεσποτείαν*, qualis vigeret apud orientis populos, et *τυράννίδα*, quae imperio per vim occupato existeret; item paucorum imperium triplex distinxit, *ἀριστοκρατίαν*, in qua potestas penes optimates esset, *τιμοκρατίαν*, quum cives honoribus ac dignitatibus conspicui regnarent, et *ὀλιγαρχίαν*, si singulae quaedam familiae vel gentes perpetuum tenerent imperium; denique in imperio populari sive democratia populi valere statuit voluntatem, unde tamen oriri saepenumero intemperantem plebis dominationem. Haec igitur quis est quin videat pariter recedere plurimum ab ea civitatum distributione, quam antea memoravimus? Enimvero non fuit Plato adeo addictus et quasi destinatus certis quibusdam opinionibus, ut eas non pro varia ac diversa re-

*) V. De Scriptis Plat. p. 273.

***) V. quae de libri octavi Reipubl. argumento exposuimus edit. nostrae p. 163 — 165. Vol. II.

****) Iudicium Platonis de varia civitatum dignitate atque pretio examinat Aristotel. Politic. I. IV. c. 2. p. 141. ed. Schneider

rum tractandarum ratione aut immutaret leviter aut scribendi consiliis adaptaret. Quamobrem qui in talibus offendunt, ii plerumque non satis perspexerunt, quid ille hae sententiae, quae videtur esse, inconstantia et varietate spectaverit. Sed redeamus unde digressi sumus. Hae igitur civitatum in sex genera usus distributione philosophus etiam iudicium fecit de earundem dignitate et praestantia. Quod etsi ipse vidit proprie ad praesentis materiae illustrationem non esse unice necessarium, tamen quoniam plerumque ex utilitatibus vel detrimentis, quae quid habeat, de eius dignitate statuatur, non temere de hoc quoque loco tanquam in transcurso paucis disputandum sibi existimavit. Et vero redundat sane ex hac re aliquid lucis in ea, quae de viris in republica tractanda versantibus exposuit. Arbitratur igitur inter omnes imperii formas nullam esse, quae pro rerum conditione peior aut melior sit regia; ultimum autem locum tenere populare imperium, quippe quo plerumque prohibeatur quominus bona et laudabilia consilia strenue constanterque peragantur, quanquam in ea, quam habeat, potestatis inter plurimos divisae imbecillitate nec multa mala importare queat. Quocirca controversiam ita dirimit, ut in populari civitate vivere optimum arbitretur tum, quum omnes omnino civitates praeaeque depravatae sint; sin omnes bonae videantur, monarchiam omnium optimam et praestantissimam habendam esse pronuntiet. Quod quidem iudicium si quaeris quo fundamento nitatur et unde repetitum sit, fecit illud philosophus ratione habita felicitatis et utilitatis, quam singulae rerumpublicarum formae allaturae videantur. Quare nec mirum est, quod alibi etiam aliter de hac re pronuntiavit aliarum rerum habita ratione, praesertim quum etiam civitatum genera aliter ibi discreverit. Nam libro VIII. Politiae tyrannidem ultimo, democratiam penultimo loco inter depravatas respublicas posuit, timocratiae vero inter easdem primum locum assignavit. Quippe ibi rem aliter diiudicavit alio modo spectatam: respexit enim, ut antea diximus, maxime ad imperantium ingenia, in quibus quum singulorum civium tum universae reipublicae mores expressi cernerentur. Quamquam si summam rei consideres, idem fere illic eius iudicium est quod in Politico. Nam optima certe civitas sive βασιλεια est sive ἀριστοκρατία, etiam in illo opere ceteris rebus publicis omnibus longissime anteponitur; populare autem imperium

et saeva unius dominatio ita aestimantur, ut quae de illis dicuntur, planissime convenient cum iis, quae in Politico sunt exposita. Similis fere ratio eorum est, quae de eodem argumento in Legum opere disseruntur. In quo quum ommissa perfectae reipublicae specie et imagine de vera tantum civitate agatur, qualis in humana societate ad optima reipublicae similitudinem constitui queat, profecto nihil offensionis habere potest, quod res rursus aliter paullo decernitur. Quamquam de rei summa ne utiquam ita indicatur, ut philosophus a sua ipsius ratione descivisse existimandus sit. De qua re probabiliter exposuerunt Koeppen in Politica Platon. p. 128 sqq. et Car. Dilthey in Examine librorum Platon. de Legibus p. 28 sqq. qui recte Astii de his rebus opiniones confutavit. Itaque haec omnia apparet in Politico sic esse explicata, ut cum Platonis ratione in aliis libris prodita omnino congruant. Sunt vero etiam ad rem praesentem aptissime exposita. Nam absoluta harum rerum quaestione clarissime profecto apparet, quid inter virum vere regalem, quem finxit philosophus, et inter eos, qui in veris civitatibus rempublicam tractent, interesse existimandum sit. Hi enim ad illum comparati nihil sunt nisi vani illius aemuli et imitatores, arte ac sapientia civili, philosopho digna, fere destituti, imo magnam partem miseri praestigiatore ac sophistarum omnium maximi et perniciosissimi. Quam quidem sententiam quod Plato studiosius et acrius in hoc libro defendit, id certe non poterit cuiquam mirum accidere, siquidem vera sunt quae antea de caussis et opportunitatibus huius descriptionis disputavimus. Ipsa enim tempora ita tulerunt, ut quid de perfecta arte civili deque depravatis Graeciae civitatibus sentiret, quam liberrime exponeret, ne quis ipsi ingrati in patriam impietatem exprobraret. Quamobrem nec iis ullo modo pepercit, qui quum nihil essent nisi humiles et vulgares reipublicae administri, tamen stolidae prudentiae civilis quam maximae laudem et estimationem affectabant. Ostendit enim luculentissime, artem oratoriam, iudicariam, imperatoriam, ne utiquam esse civili rationi aequiparandam, sed huius tantummodo famulam quandam et adintricem. Vates autem scribas, sacerdotes, aliosque id genus homunciones, inani sapientiae civilis opinione misere inflatos, satis acerbe per-

strinxit et castigavit *). Enimvero idem prorsus hic statuit, quod pronuntiavit in Gorgia p. 517. B sqq., ubi eos, qui reipublicae vulgo ministrent, viles eius famulos esse arbitratur, ad omnem lubricitatem civium explendam iusto paratioribus.

Sed tempus est huic disputationis nostrae parti tandem finem imponere. Satis enim videtur ostendisse, quid Plato de perfecto perfectae reipublicae rege et moderatore deque iis, qui veluti adulterini quidam eius imitatores sint, statuendum putaverit. Quae quidem pars operis Platonici sicuti est longe gravissima, ita copiosior eius explicatio, si modo non infeliciter cesserit, facilem, ut spero, apud omnes inveniet excusationem.

Superest, ut tertia libri pars dilucidanda sit, quae et ipsa ad cognoscendam Platonis sententiam rationemque, quam in hoc dialogo scribendo secutus est, non parum momenti facit. Nondum enim tractavimus locum illum gravissimum, qui continet narrationem de variis mundi aetatibus atque rerum hominumque conditione inde oriunda. Hunc igitur nunc ita excutiamus, ut et quaeramus quorsum pertineat et quasnam habeat causas atque origines paulo accuratius dispiciamus. Quibus exploratis, quid de tota illa narratione existimandum sit, veluti sua sponte apparebit **).

Quodsi igitur universe quaerimus, cur narratio ista subtilissimae illi de arte civili disputationi intertextae sit et quorsum ea pertineat; primo certe ad aspectu eo consilio videri possit esse interposita, ut divinus politicus, ut ita dicam, accuratius discernatur ab humano, qui disputandi praebuit occasionem, ideoque doceatur accuratorem viri civili sapientia instructi definitionem requirere hoc, ut in locum vocabuli ἀγλειοτροφικῆς, quo antea usus erat Eleates, substituatur nomen ἀγλειονό-

*) V. p. 303. A — D.

**) Nonnulla de hoc loco exposuit Astius De Vita et Scriptis Platonis p. 234 — 37. qui tamen rem non perfecisse, sed inchoasse tantum existimandus est. Hinc factum putamus, ut Socherus l. l. pag. 273. perversissime de eo iudicaverit. Quocirco conferenda sunt etiam quae Astius postea in Annal. Vindobonn. a. 1821. Vol. XIV. p. 100 sqq. contra Socheri opinionem disputavit, ubi tamen item pauca tantum illustrare conatus est. Vid. etiam Schleiermacherus Praefat. ad Politic. p. 258 sq.

νόμῳ, quippe quod illo minus late pateat *). Nec profecto dubium est hoc ipsum a Platone significari. Illud tamen non iniuria dubites, num philosophus id unum secutus sit. Nam et amplitudo et gravitas huius loci ea est, ut altius quiddam spectari videatur. Et certe nostra sententia plus haec habent in recessu quam fronte promittunt. Quippe est hic Platonis mos, ut interdum, quum videatur ludere aut res leviores tractare, si propius introspicias eius mentem, res gravissimas et ad rerum explicandarum cognitionem utilissimas tradat et illustret. Quodsi autem quaeris, cuiusmodi tandem illud sit, quod hoc loco explicatur; vel usus mythi quid rei sit admonere nos potest. Solet enim philosophus mythos fere tum usurpare, quum de iis rebus agitur, quae quum certam perspicuamque mentis humanae cognitionem fugiant, tamen ob rationes quasdam statuuntur fuisse aut futura esse, quaeque non ita cognoscuntur, ut quomodo fuerint aut futura sint intelligatur, propterea quod non tam scientia et cognitione comprehenduntur, quam veritatis quasi divinatione quadam attinguntur. Quamobrem fabulae illae, quamvis ex scientiae tanquam fonte et principio natae, tamen iis rebus probandis demonstrandisque adhibentur, quae dialectica perinvestigatione certius exquiri non possunt; inserviuntque potius eorum illustrationi, quae posita sunt in quidam mentis praesagitione, propterea quod natura sua sunt excelsiora, sublimiora, diviniora, quam quae in mentis humanae scientiam et cognitionem cadere existimanda sint **). Quamobrem vel ex hac re suspicari licet, agi nunc de re aliqua ad civilem rationem pertinente, quae altiolem sibi exposcat indaginem, neque artis dialecticae subtilitate prorsus exquiri possit. Haec accedit aliud quid, quod et ipsum nos possit eo deducere, ut de totius loci vi et gravitate rectius statuamus. Solet enim Plato rerum singularum considerationem referre ad contemplationem

*) V. p. 268. B. et p. 275. B.

**) Iniquius multi de usu fabularum apud Platonem iudicaverunt. Ita iam Colotes apud Macrobinum Saturn. libr. I. c. 4. „*At a philosopho fabulam non oportuisse confingi, quoniam nullum figmenti genus veri professoribus conveniret.*“ Ab enim vero istiusmodi iudicia ex eo originem habuerunt, quod plerique causas rei non perspectis Platonis rationem ex sua ipsorum ratione iudicaverunt.

universi; res humanas comparare cum divinis; denique mutuam necessitudinem, qua singula cum communi et universo contineantur, aliqua ratione significare. Quod imprimis etiam in iis fecit dialogis, qui cum Politico argumenti quadam cognatione contineantur. Ut quum in Politia civitatem suam naturae hominis bene morati eique perfectae et absolutae similem finxit, aut in Timaeo hominis indolem et naturam docuit cum rerum universitate ita convenire, ut plane cernere nobis videamur tanquam macrocosmum aliquem atque microcosmum tanta similitudine inter se cognatum, ut mutua utriusque coniunctio paene in oculorum conspectum veniat. Quid igitur? num forte philosophus simile quiddam etiam in eo sequutus est, quod Eleatam in Politico copiosissimam de variis mundi aetatibus narrationem exponere iussit? num similitudinem quandam ac necessitudinem civitatum humanarum cum totius rerum universitatis gubernatione et fortuna voluit significare in eaque re explicanda fabulae involucri ideo usus est, quia eius cognitio, si qua esse videretur, quasi quadam contineretur animi coniectura ac divinatione? Fatemur libere eam sententiam nobis probari unice. Sed ut appareat quo iure ita sentiamus, age primum exquiramus, quaenam coniunctio huic operis parti cum disputatione de arte gubernandae reipublicae instituta intercedat; ac deinde videamus, quid ex ea re de vera Platonis sententia probabiliter conficere liceat. Quibus exploratis denique de singulis totius narrationis partibus ita disputabimus, ut simul de eius fontibus, si qua opus sit, admoncamus.

Et connexio quidem fabulae cum ea, quae de civitatis gubernandae arte ac ratione instituitur, disputatione ita intelligetur facillime, si antea exploratum habeatur, unde philosophus humanarum civitatum virtutem atque laudem omnem maxime suspensam esse voluerit. Id vero animadvertere et intelligere haud sane difficile arbitramur. Nam quicumque vel mediocri animi attentione perlustraverint quae antea de variis civitatum generibus earumque administratione duce Platone exposuimus; iis neutiquam poterit dubium aut incertum videri, philosophum in ea fuisse sententia, ut quamque civitatem eo meliorem, praestantiorum ac perfectiorem esse iudicaverit, quo magis in ea vigeat vis rationis atque mentis imperium. Atque hinc profectus duo maxime discrevit rerumpublicarum genera, alterum perfectae illius civitatis, qua nihil me-

lius mente et cogitatione fingi queat, propterea quod in ea absoluta sapientis ratio vigeat ac pro summa et communi lege valeat; alterum earum civitatum, quae ortum suum habeant ab humana imbecillitate, quaeque ita tantum propius ad perfectae illius reipublicae laudem ac praestantiam accedant, si leges publicae et a sapientibus viris scribantur et incidente mutandi necessitate ab iisdem emendentur; a ceteris autem civibus omnibus pro sanctis et inviolabilibus habeantur. Quid igitur? his duobus civitatum generibus nonne manifestum est plane respondere duas illas aetates, quas in totius universi gubernatione et quasi vita conspicuas esse arbitratus est? Enimvero ego si quid video, aetas illa Saturnia, quam describit Eleates, tanquam e regione collocata est optimae civitatis gubernationi, in qua unice perfectae rationis imperium valet; Iovis autem aetas quae dicitur, ea certe non absimilis est iis civitatibus, quae pro ratione scriptis utuntur legibus, quaeque quum omnino a perfectae reipublicae specie et imagine longo intervallo distent, tum inter ipsas multum eo discrepant, quod aliae aliis habentur deteriores. Haec igitur est coniunctio illa atque necessitudo, qua tota haec narratio cum rerum civilium disputatione continetur. Atque hanc tenentes facile, opinor, reperiemus, quidnam tandem illud sit, quod Plato hac sua narratione sibi voluerit. Nam illud quidem iam nemo sibi persuadere poterit, quod iam antea refellere conati sumus, haec unice subtilioris definitionis reperiendae causa sic esse narrata: hanc unam enim si philosophus anquisivisset, certe tantis ambagibus haudquaquam fuisset opus. Sed videamus quid rei sit.

Ac primum quidem illud omnibus apparere arbitramur, gubernationi humanarum civitatum omnium tanquam exempli instar e regione collocari regimen universi, unde cognosci et intelligi liceat, unamquamque rempublicam ita tantum beatam perfectamque fore, si per omnes eius partes vis rationis atque auctoritas quasi diffusa sit planeque dominetur, sed tanto existere praviolem atque miseriorem, quo magis a rectae rationis usu desciscat et ad lubricitatis et cupiditatis indomitam licentiam abripiatur; huius autem mali eventus ita tantum occurrere, si rationis vis et efficientia non plane auferatur sed subinde cupiditati per eam tanquam frenas iniiciantur. Quocirca philosophus civitatum rectoribus tanquam exemplum quoddam ob oculos posuit, in quod intuentes, quid in

illis administrandis sequendum esset, admonerentur. Quod quale sit, etsi in Politico non claris verbis enuntiavit, sed legentium coniecturae reliquit, tamen aperte proloquitur est libro IV. Legum p. 713. C sqq. Ibi enim posteaquam de Saturni imperio eiusque beatitate iisdem paene verbis, quibus in Politico, explicatum est, Clinias haec addit: „Itaque verissime, inquit, dicitur, civitati, quam non Deus sed hominum aliquis regat, malorum et laborum nullum esse effugium; sed omni studio nos imitari oportere vitam, quam Crono imperante degerint homines, et immortalis in nobis naturae praeceptis obsecutos publice privatimque regere civitatem atque domum, τὴν τοῦ νοῦ διανομήν ἐπονομάζοντας νόμον.“ Quae perfecta ita sunt comparata, ut Politici loco clarissimam affundant lucem et prope eius illustrandi gratia scripta videantur. Proposuit igitur Plato, ut apparet, civitatum moderatoribus totius rerum naturae exemplum, ut haberent, in quod intuentes illis regendis administrandisque rectam rationem sequerentur.

Nec tamen in eo omnia inesse putamus. Imo ille, si quid iudicare possumus, etiam maius quiddam spectavit. Nam illud ipsum rerum universitatis exemplum ob oculos positum eiusmodi est, ut altioris illius sapientiae vestigia ostendat, cuius caussa philosophus ad fabulosae potissimum narrationis usum sibi confugiendum esse iudicavit. Quippe philosophus sese fabulam narrare simulans etiam totius rerum naturae mysteria quaedam aperit, quae certe eiusmodi sunt, ut mente humana non plane intelligi, sed tantum incerta animi coniectura divinari queant. Etenim disputans de humani ac divini rerum communium gubernatoris discrimine, et quid illi potissimum propositum esse debeat exquirens sapientissime eam interposuit narrationem, unde, priusquam de humanarum civitatum discrimine et vicissitudine disputatur, facile suspicari liceat, etiam in universo dominari hanc legem, ut certis quibusdam temporum orbibus circumactis omnia modo in peius ruant, modo in melius mutentur. Itaque significatur et universi mundi et humanarum civitatum eandem aut similem certe esse fortunam. Qua quidem comparatione efficitur hoc, ut quum in humanarum civitatum moderamine ac statu indicando universum quasi speculum aliquod propositum cernamus, in quo illarum tanquam repercussam imaginem quandam videre liceat, tum ex humanarum rerum similitudine de omni

rerum universitate eiusque natura et conditione coniecturam capere possumus. Significavit igitur Plato, etiam hoc totius mundi animal, quod alio loco appellavit, natura sua ita esse comparatum, ut modo divinae rationi pareat et obsequatur, modo coeco sui amore captum cupidini indulgeat, eoque ipso accidere, ut exactis certis quibusdam temporum circuitibus rerum omnium status et conditio immutetur.

Sed ne id temere suspicari esse potius quam prudenter ita statuuisse videamur, exquisivisse iuvabit, quid Platoni omnino de his rebus visum sit. Nam ubi demonstratum fuerit, hanc sententiam de variis mundi conversionibus earumque caussis revera Platoni fuisse probatam aut certe universae eius doctrinae non adversari, certius etiam exploratum habebimus, veram esse loci interpretationem a nobis propositam.

Et illud quidem extra omnem dubitationem positum est, Platonem certos quosdam temporum orbis et quasi circuitus statuuisse, quibus rerum adspectibilibium omnium vel origines vel interitus evenirent. Quapropter non modo hanc terram nostram multas olim variasque subitis mutationes censet, aqua vel igne effectas, sed etiam omnia, quae aliquando orta sint, etiamsi originem habent divinam, interitui obnoxia esse arbitratur*). Iam vero quum nihil usquam extet, quod non sententia ipsius mutationis ac vicissitudinis necessitati subiectum sit; equis est, qui sibi persuadeat eum de tota rerum universitate aliter existimavisse? At enim vero, inquit aliquis, docuit tamen philosophus mundum esse aeternum et indissolubilem; qui igitur fieri potest, ut eundem iudicaverit interitus necessitati subiectum? Audio. Nimirum ista mundi aeternitas certe non prohibet, quo minus varium ac multiplicem subeat statum et conditionem. Quocirca vel sic philosophus potuit existimare, certis quibusdam temporum intervallis rerum ortarum incidere vicissitudinem. Atque id ita esse certissime ex Timaeo intelligitur. Nam ibi loco nobilissimo, ubi de anima mundana disputatur, huic ipsi, quippe ex elemento diviniore atque corporeo compositae, proprium esse dicitur, ut et recta sentire atque intelligere et vero etiam falsa

*) V. De Rep. VIII. p. 546. A. γενομένη καὶ τὴ φθορὰ ἴσται. Ibid. B. Tim. p. 22. C. Legg. III. p. 677.

opinari queat*). Quid igitur? nonne inde consequitur, ut etiam universi mundi tanquam vitam variam esse statuendum sit, prouti anima ei indita vel recta et vera cognoscit vel vanis occupata est opinionibus? Nimirum omnis mali principium secundum Platonem in corporum cernitur materia. Quae quum proclivis sit ad motus turbulentos et infinitatis inconstantiam, accidere interdum solet, ut animi, quamvis divinae rationis capaces, tamen ad fraudem et errorem abripiantur ideoque tanquam necessitate quadam coacti rationi non obtemperantes ruant in deteriora. Nemo enim sua sponte malus est: nec tamen idcirco impune licet corporis pravitati ac lubricitati indulgere, quoniam propensio ad has perturbationes rationis usu vinci ac perdomari potest. Et hoc quidem sicuti de hominibus ita iudicandum est, ita etiam de toto mundo tanquam animali existimari oportet. Nam huic quum animus inditus sit item ex elemento non intelligibili modo verum etiam sensilli compositus; fieri profecto etiam potest, ut divinae ipsum gubernationis capiat oblivio. Gaudet tamen ipse quoque sua libertate, sicuti humanus animus, ut similiter atque hic libere agere queat, quamvis ipse Deus rerum omnium curam gerat. Quamobrem ei etiam motus tribuitur proprius atque suus, sicuti Tim. p. 34. C sqq. factum. Atque ex ea re explicationem habet difficilis ille locus Legum libr. X. p. 896. E sqq., ubi malus mundi animus non est alius, quam quem rerum divinarum invasit incuria ac negligentia; neque cogitandum de duplici animo mundano, bono altero, altero malo, quod nonnullis placuisse videmus**). Et haec quidem si vera sunt, facile apparebit, potuisse Platonem

*) V. Tim. p. 37. A. coll. 34. A. et 51. D.

** Verum ex parte iam perspexit Tennemann. System. Philos. Plat. T. III. p. 175 sqq., quem nollem accusavisset Boeckhii in Studiis a Daubio et Creuzero editis Vol. III. P. I. p. 25 sq. malum animum mundi nullum omnino esse arbitratus. Scribit enim haec: *Der Intelligens allein kommt das wahre Sein zu; folglich ist die böse Weltseele gar nichts Wahrhaftiges, sondern ein Nichtiges, wie die ausser der Vernunft gedachte Körperwelt selbst, — und nur die gute ist in Wahrheit, wie die Ideenwelt, und dadurch dass sie der Ideenwelt theilhaftig ist.* At eodem argumento facile probaveris animum hominis malum atque improbum esse omnino nullum; quod certe a Platonis sententia plurimum abhorret.

utque doctrinae suae convenienter ita iudicare, ut mundum certis quibusdam temporum intervallis pravo corporis amore captum et sensilli animi parti nimium indulgentem ad deteriora relabi statueret utpote divinae rationis non satis memorem. Atque id ipsum est quod ab eo in Politico fabula nobilissima significari existimamus. Coniunxit enim hic praeas de variis mundi aetatibus narrationes cum suis ipsius opinionibus, atque mundum iudicavit, quamdiu divinae rationi obtemperet, non modo salvum et incolumem, verum etiam beatum permanere; ubi autem a divino quasi desciscat et nativae indulgeat lubricitati, tristiora habere tempora, quam ut diviniore vitae beatitas consistere ac permanere queat. Sed his ipsis dum philosophus opinionem suam de causis depravationis quum in universo tum in rebus humanis subiude ingruentis tanquam per transennam ostendit; simul etiam id consecutus est, ut grandi sane et magnifica narratione suam de humanarum civitatum salute sententiam confirmaverit, qua certissime sibi persuaserat, unamquamque civitatem ita demum bonam perfectamque fore, si tanquam Saturniae aetatis aemula quaedam rectam rationem habeat ducem et magistram; si autem neglecto rationis imperio coeca quadam lubricitate administraretur et cupiditatum vim dominari sinat, tum vero perpetuo in peius ruere et ad interitum ferri praecipitem, nisi rursus ad rectae rationis legem atque normam componatur. Quamquam perfectae mundi gubernationis aetatem censendus est voluisse idealem, ideoque perfectae civitatis imagini quodammodo respondentem.

Exquisivimus tandem et invenimus, quid Plato narranda fabula illa in universum quidem spectaverit et quatenus argumentum eius cum reliqua viri doctrina consentiat. Nam etsi de totius mundi conversionibus et commutationibus alibi, quantum nos quidem sciamus, non iteravit quae hic perscripta leguntur, tamen quum ea cum philosophi ratione planissime conveniant, dubitari certe non potest quin plane pro Platonis probanda sint.

Sed addenda hic nonnulla videntur, quae ad ea, quae diximus, melius iudicanda rectiusque aestimanda valeant. Quibus expositis transire licebit ad indagandos fontes, quibus philosophus in componenda hac narratione usus est. Qua quidem disputationis nostrae parte confirmatum iri speramus, quae de totius fabulae argumento et proposito iudicavimus.

Quaesivisse vero iuvabit, num cum Platonis doctrina conveniat, quod Deus dicitur aevo Saturnio quidem mundi tenuisse gubernacula, sed eo factorum necessitate finito illa tractare desivisse et in speculam discessivisse suam, cursum eius fortunamque tanquam e longinquo observaturus. Et Meinersius quidem in *Historia Artium et Litterar. Graec.* T. II. p. 727. atque Socherus *De Scriptis Platon.* p. 275. in ea re offenderunt vehementissime, quorum alter miratur Platonem in eam opinionem unquam devenire potuisse, ut Deum interdum curam suam a rerum universitate amovere statuerit; alter id eiusmodi esse censet, unde Politicum Platonis nomen mentiri non verisimiliter conicias, sed certo concludas et intelligas *). Quocirca res utique digna est diligentiore examine.

Certum est autem atque exploratum, Platonem stultissime res huius universi pariter atque res hominum omnes ita a Deo curari, ut eius providentia nullo unquam tempore cesset aut desinat. Id quod unumquemque vel ea docere poterunt quae leguntur Legg. X. 900. C sqq. 904. E sqq. Phileb. p. 30. C. Phaedon. p. 62. B., quibus locis ita de divina rerum terrestrium et humanarum procuratore disputatur, ut deos vel potius Deum ostendatur minimarum atque maximarum rerum curam gerere. Quid igitur? num tandem credibile est Deum a Platone ita removeri a mundi gubernatione, ut subinde curam eius omnino nullam habere existimandus sit? Enimvero hoc si ita in Politico factum esset a philosopho, nos quidem fatemur facile Sochero esse assensuros, qui miratus huius sententiae insolentiam et indignitatem protenus totum librum Platoni ereptum ivit. At enim vero nostra quidem sententia tantum abest ut Plato in hoc opere providentiam divinam arbitratus sit. Nam Deus

*) Digna sunt verba Socheri, quae hic adscribantur: „Nicht nur fast ungläublich ist es, dass der Platon, der das von Gott und Weltregierung schrieb, was wir im Phaedon, in der Politia, im Timaeus, in den Gesetzen lesen, auch das, was im Politicus steht, geschrieben habe. Fast ungläublich, guter alter Meiners, sagst du? Warum ziehst du nicht den allernatürlichsten Schluss daraus: also hat es Platon gar nicht geschrieben? — Das Raisonement, durch welches der Mythos hier in die Philosophie eingeführt wird, diess ist nicht platonisch.“

eius iudicio subinde recedit quidem a rerum gubernaculo, sed recedit non ut incuriosus mundi sua utentis libertate spectator, sed ut observator eius diligentissimus, qui eum in maximo versautem interitus periculo praesentissimo auxilio suo tuetur atque saluum et incolumem praestat. Quod quid aliud est nisi iudicium perpetuae eius curae longe certissimum? Etenim pie philosophus sibi persuaserat, ad universi huius salutem perpetuam Dei curam nullo unquam tempore non requiri. At vero, inquit aliquis, nonne huic ipsi sententiae gravissime adversatur illud, quod mundum fecit interdum per se euntem ac divina gubernatione plane carentem? Quae dubitatio facillime auferetur, ubi quid philosophus hac imagine significaverit, diligentius indagatum fuerit.

Deseri igitur a Deo dicitur mundus, quum animus ei inditus, immemor divinae institutionis, prae nativa imbecillitate sua a rationis praeceptis atque legibus defleat, et prorumpens corporis vis eius tanquam imperio potitur. Quod certe non magis impedit ne providentiam divinam saluti eius consulere existimemus, quam quod homines quoque pravus opinionibus aut vitis indulgentes interdum a Deo deseri indicantur ideoque miserrimam agere vitam. An quis haerebit in istis Legg. IV. p. 716. A. B. ὁ δὲ τις ἐξαρθεῖς ὑπὸ μεγαλαυχίας ἢ χρημασίων ἐπαιρούμενος ἢ τιμαῖς ἢ καὶ σώματος εὐμορφίᾳ ἀμα νεότητι καὶ ἀνοίᾳ φλέγεται τὴν ψυχὴν μεθ' ὑβρείας, ὡς οὐτ' ἀρχόντος οὐτε τινὸς ἡγεμόνος δεόμενος, ἀλλὰ καὶ ἄλλοις ἰκανὸς ὦν ἡγεῖσθαι, καταλείπεται ἔρημος θεοῦ, καταλείφθεις δὲ καὶ ἔτι ἄλλους προελαβὼν σιωπῆ ταράττων πάνθ' ἅμα, καὶ πολλοῖς τισὶν ἔδοξεν εἶναι τις, μετὰ δὲ χρόνον οὐ πολὺν ὑποσχὼν τιμωρίαν οὐ μεμπτήν τῇ δίξῃ ἑαυτὸν τε καὶ οἶκον καὶ πόλιν ἀσθεῖν ἀνάστατον ἐποίησεν, aut offendemur eo, quod alibi, qui sunt boni et honesti, a Deo diligi dicuntur? Nimirum sicuti singulis hominibus ea tributa est sentiendi agendique libertas, ut non modo honesta sequi sed etiam prava appetere possint, ita etiam totum hoc rerum universitatis animal, quia animum habet ex diviniore et terrenis partibus conflatum, ea utitur libertate, ut quantumvis imperio divino subiectum sit, tamen semet ipsum moveat atque vitam degat humanae vitae certe non absimilem. Apparet igitur, opinor, ex his omnibus certissime, nihil in his inesse, quod a Platonis ratione vel tantillum abhorreat aut cum ea pu-

gnet: imo omnia amicissime consentiunt cum iis, quae philosophus in aliis libris de mundi gubernatione ac divina providentia exposuit.

Atque his expositis sequitur, ut de singulis fabulae partibus dispiciendum sit. Quod quidem ita facere consultum duximus, ut simul de fontibus quaeramus, unde Plato fabulae elementa depromserit. Qua re simul efficiemus hoc, ut quid improprie, quid proprie intelligendum sit, facilius perspiciatur. Videmur autem non iniuria statuere, coniunxisse Platonem vulgares Graecorum fabulas et antiquas narrationes de praeis rerum omnium mutationibus, fortasse ab Aegyptiis acceptas, cum iis de rerum natura opinionibus, quas ipse ex Pythagoreorum hauserat sapientia et tanquam adhibito quodam temperamento cum sua ipsius sententia quam aptissime conciliaverat. Quod ut certius appareat, age potiores certe totius narrationis partes singulatim excutiamus.

Et illud quidem apertum putamus, totius fabulae tanquam involucrum sumtum esse a pervulgata illa de variis mundi aetatibus narratione deque iactura praecae beatitatis, quae olim saeculo aureo, quod vocatur, viguisse credebatur. Quam quidem narrationem quum poetae variis modis exornassent, etiam Plato ita eam tractavit, ut totam suo scribendi consilio attemperaverit. Nam quum verbis cum illis consentiat, tamen re ipsa longe alia tradidit atque omnia scite ad philosophiae dogmata retulit. Narrat igitur utique de Saturni et Iovis imperio *): sed tantum abest, ut mundi gubernationem hisce diis popularibus commiserit, ut cogitaverit de summo Deo, quem ipse credidit huius rerum universitatis esse rectorem atque moderatorem. Qui si quaeris qualis sit, certe non est alius nisi *νοῦς* ille βασιλεύς, sive mens divina ac summa ratio, de quo inter alia Phileb. p. 28. C. scribit: πάντες γὰρ συμφωνοῦσιν οἱ σοφοί, ὡς νοῦς ἐστὶ βασιλεύς ἡμῶν οὐρανοῦ τε καὶ γῆς. Hunc igitur vulgaribus illis deorum nominibus significavit, idque fecit

*) Quod duas tantum distinxit aetates, Saturni et Iovis, de eo v. Voelker. *Mythologie des Japetischen Geschlechtes* p. 257 sq. coll. Buttmann. in *Commentatt. Academ. Scient. Bero- lin.* a. 1814 — 1815. p. 257 sqq. Fr. Schlegel. *Ueber die Hesiodischen Weltalter* Opp. III. p. 208 sqq. I. H. Voss. ad Virgil. *Ecolg.* IV. 45. VI. 41. qui varias poetarum narrationes uberius sunt persequuti.

perfecto arte prorsus admirabili *). Nam quum mundi totius exemplo docere sibi proposuerit, variam esse atque diversam humanarum civitatum fortunam, prouti in iis imperium rationis aut valeat integre aut debilitatum contentumve sit, prudentissime eam universi aetatem, qua vis cupiditatum ingruit ac mundus, utpote sibimet ipsi permissus, in dies magis a divinis institutis recedit, Iovi attribuit; alteram autem meliorem, qua omnia summae rationi paruerunt, assignavit Saturno. Quocirca alterum rationis per omnia vigentis dominantisque, alterum eiusdem per ingruentem corporeae libidinis vim et potentiam repressae ac debilitatae imaginem esse voluit; quod quum primo aspectu cum opinionibus Graecorum convenire videatur, qui Iovis aetatem Saturnia multo deteriore fuisse credebant, tamen re accuratius pensitata longissime ab iis discrepare neminem fugiet. Atque par fere eorum ratio est, quae philosophus de daemonibus Saturni in gubernanda rerum universitate administris narravit. Nam hic quoque quum vulgares de daemonibus opiniones retinere ac tueri videatur, quas quum alibi tum in Apolog. Socr. p. 27. C sqq. tetigit **), tamen, ubi rem accuratius consideraveris, illas facile largieris sententiae ipsius de divina ratione omnes mundi partes permeante exornandae declarandaeque inservire. Nam genii illi, quos singulis mundi partibus atque animantibus tanquam curatores quosdam praefecit, non sunt, ut Apuleii utar verbis ***), divinae illae mediae potestates inter summum aethera et infimas terras in isto intersitae aeris spatio, per quas et desideria nostra et merita ad deos comment, aut inter terricolas coelicolasque vectores hinc precum, inde donorum, atque utrorumque voluntatis interpretes, quos Graeci nomine δαιμόνων ap-

*) Plato enim quum dei nomina variis rebus tribuerit, neque deos populares tollere ausus sit, tamen summum aeternumque Deum unicum voluit esse. Qua in re ipsi exemplum imprimis praecivit Socrates, de quo v. Xenoph. *Mem.* I. 4. 17. IV. 3. 13. Etiam Anthistenes teste Cicero. *N. D.* I. 3. *Minut. Fel.* c. 19. Lactant. *Inst.* I. 1. *Deum naturalem unum, populares multos esse dixit.*

**) De daemonologia Graecorum v. Creuzer. *Symb. et Mytholog.* III. 4 sqq. p. 511 sqq. et Virum doctum in Zimmermanni *Diariis Scholasticis* a. 1833. P. II. N. I sqq. imprimisque N. III. p. 20 sqq.

***) De deo Socrat. p. 45 sq.

pellabant; sed potius radii quasi quidam mentis divinae per totam rerum universitatem diffusi atque omnia divinitatis luce collustrantes. Itaque *δαίμονες* philosophus voluit ibi esse, ubi mens vigeret atque ratio divinae originis suae sibi conscia et ad vitam divinorem tendens atque perducens. Quod quidem neutiquam ab eius mente et sententia abhorreere liquido testatur locus Timaei p. 90. A. τὸ δὲ δὴ περὶ κριωτάτων παρ' ἡμῶν ψυχῆς εἶδος διανοεῖσθαι δεῖ τῆδε, ὡς ἀρα αὐτὸ δαίμονα θεὸς ἐκάστω δίδωκε, τὸντο ὃ δὴ φραμεν οἰκεῖν μὲν ἡμῶν ἐπ' ἀσπῶ τῷ σώματι, πρὸς δὲ τὴν ἐν οὐρανῷ ξυγγειναιαν ἐπὶ γῆς ἡμᾶς αἰθερῶν ὡς ὄντας φερτὸν οὐκ ἔγγειον ἀλλ' οὐράνιον, ὁρθότατα λέγοντες. Ibi enim apertum est τὸν νοῦν tanquam daemonem aliquem dici unicuique homini additum esse; quam sententiam constat postea temporis etiam Stoicis placuisse*). Testatur item locus Cratyli p. 397. D sqq., ubi *δαίμονες* dicti indicantur a *δαῖναι*, sapientem esse, quasi *δαίμονες* quidam, quandoquidem, quum alii a virtute ac sapientia defecerint, hi soli permanserint boni ac sapientes. Quae vocabuli originatio etsi lusu quodam ficta videtur, tamen quales daemones populares secundum Platonem existimandi sint, unumquemque edocere potest. Quod igitur philosophus rerum universitatis gubernationem scribit aetate Saturnia inter summum Deum atque daemones fuisse distributam, id etsi cum popularibus opinionibus planissime videtur concordare, tamen magnopere cavendum est, ne ex litterarum scriptione interpretemur. Nam sicuti nominibus Saturni et Iovis longe aliud quid significatur, quam vulgaris loquendi usus ferebat, ita etiam daemones non proprie intelliguntur, sed dicuntur pro mentis divinae tanquam potestatibus, quibus omnia atque singula obtemperaverint. Quocirca nostra quidem sententia Plato hoc indicavit, mundum olim ideo fuisse beatiorum, quia non modo summi Dei imperio paruerit, verum etiam divinae mentis rationisque vis et auctoritas

*) Ab hoc Timaei loco profectus Plotinus Ean. III, 4, 5 sqq. daemonem singulis hominibus comitem additum apud Platonem significare censuit perfectum vitae ac virtutis exemplar, ad quod, qui illud intueantur, perpetuo contendunt et emittantur. Quod probatur unice Steinharto Meletem. Plotin. p. 20., nobis improbat, siquidem Plotinus pro more suo hic quoque cum Platonis doctrina suas opiniones permiscuit.

per omnes eius partes ita vigerit, ut innatae ipsi vis materiae nihil quidquam perturbaverit.

Quemadmodum autem philosophus fabulas illas de aurea et argentea aetate arte prorsus singulari toti narrationi suae tanquam fundamenti loco subiecit; ita etiam potiores illius partes, in quibus novi quiddam intulit et cum vulgari de mundi aetatibus opinione commiscuit, ne illae verisimilitudinis specie ex veteribus traditionibus petita penitus carerent, similiter illustrandas vel exornandas iudicavit. Nihil autem in tota narratione, si ab aureae et ferreae aetatis commemoratione discesseris, gravius est et in quo magis tanquam in cardine aliquo reliqua omnia versentur, quam quod utrique mundi aetati diversum rerum universitatis motum diversamque animantium generationem, ortum et vitam attribuit, atque universum eius corpus inde ab eo tempore, quo illud, quippe a divina ratione abalienatum, suo impetu agitatam sit, contrario atque antea motu cieri coepisse arbitratus est.

Itaque haec ne mero arbitrio videretur posuisse, ad partes vocavit celeberrimas illas narrationes de sideribus propter sceleris ab Atreo admissi atrocitatem retro relapsis ac de terrigenis, qui pristinis olim temporibus vixisse credebantur. Quas narrationes dum aptissime cum principali fabula contexit, profecto effecit hoc, ut omnia priscae aetatis fide et auctoritate communiri videantur. Nec vero quam solerter illas ad rem praesentem retulerit, cuiquam obscurum erit. Nam illud quidem, quod sidera propter immanitatem Atrei retro cucurrisset narrabantur, egregie sane convenit cum ea sententia, qua sequutus, sicuti postmodo videbimus, Pythagoreos duplicem mundi motum statuit. Hoc autem aptissimum est ad illustrandum illum rerum statum, in quo homines pariter atque ceterae animantes adeo cum rerum natura divinae mentis et rationis vi repleta coniuncti vixisse dicuntur, ut cum illa unum idemque essent necdum tanquam pars aliqua totius naturae, caeco sui amore capti, sibi unice vivere incepissent. Etenim tunc quidem nondum soluto vinculo illo, quo res terrena cum divinis continebantur, nec homines suum atque proprium ortum habuerunt, sed vita eorum cum vita totius naturae fuit coniunctissima. Haec igitur satis, opinor, docebunt, quam eleganter philosophus his fabulis ad illustrandas ornandasque principales quasdam sui commenti partes usus sit.

Ceterum ne reliquis omnibus antiquitatis commendatio deesset, prudenter commonuit univēse, multas alias superesse priscae aetatis traditiones, quae ex eo, quem descripturus sit, rerum universitatis statu suam explicationem habeant. Qua quidem admonitione effecit, ut ne alia quidem, quae exposuit, antiquorum temporum testimonio carere videantur. Ac fortasse etiam significare aliquo modo voluit se nec in reliquis temere meris fictionibus induluisse.

Atque haec quidem de mythologiae involucris, quibus usus philosophus eam fabulam concinnavit, quae praeorum temporum fide et auctoritate confirmari videretur. Veniamus ad eorum considerationem, quae ex philosophiae penetrabilibus sunt repetita, deque eorum causis et rationibus disquiramus. Facile autem apparet pleraque omnia, quae exponuntur, eiusmodi esse, ut non ad dialecticam, sed ad physicam, sive ad philosophiam naturae, quam hodie vocant, pertinere existimanda sint. In qua doctrinae suae parte Platonem constat maxime Pythagoreos duces sequutum esse, sicuti ex Timaeo clarum est atque perspicuum. Iam vero etsi naturalium rerum notitiam in magno habuit honore, tamen multum fallatur, si quis existimet tanti illam ab eo aestimatum esse, quanti eas philosophiae partes fecit, quae non experientia et usu rerum, sed sola mentis cognitione continentur. Imo tanto intervallo hanc ab illis distare iudicavit, quanto verisimilitudinem ab ipsa veritate, opinionem a scientia nomine suo digna. Certissimum huius testimonium in Timaeo habemus. Hic enim Timaeus fecit aperte profitentem, se non veritatis sed potius risimilitudinis doctrinam traditurum esse. Nam p. A seqq. ille dicit haec: *ὅσα οὖν περὶ τῆς εἰκότος (de exemplari eius intelligibili) διοριστέον, ὡς ἀρα λόγους, ὡν περὶ εἰσὶν ἐξηγηταί, τούτων αὐτῶν καὶ γενεῖς ὄντας, τοῦ μὲν οὖν μονίμου καὶ βεβαίου μετὰ νοῦ καταφανοῦς μονίμου καὶ ἀμεταπτώτου καθ' ὅσον οἷον τε ἀνελέγχτους προσηκεῖ λόγους καὶ ἀκινήτους, τούτου δὲ μηδὲν ἠλλείπειν, τοῦ τοῦ πρὸς μὲν ἐκεῖνο ἀπεικασθέντος, ὄντος δὲ εἰκότος ἀνα λόγον τε ἐκείνων ὄντας· ὃ τί περὶ γενέσειν οὐσία, τοῦτο πρὸς πίστιν ἀληθεῖς et p. 44. C. τὰ δὲ πρὸς τούτων, περὶ σωματίων καὶ μέρη τῆς γενέσεως καὶ περὶ ψυχῆς, δι' ἃς τε αἰ*

*καὶ προνοίας γέγονε θεῶν, τοῦ μάλιστα εἰκότος ἀντιχομένους, οὕτω καὶ κατὰ ταῦτα πορευομένοις διεξιτέον. v. quae diximus Prolegg. ad Tim. p. 35 sqq. *)*. Quae si tenemus, etiam in his iudicandis versabimur prudentius, quae hoc Politici loco de iisdem rebus similiter traduntur. Neutiquam enim philosophus putandus est haec omnia pro veris atque certis venditasse; imò ea ut verisimilia tantum, non ut certa, proposuit, eamque ob causam ea fabulosae narrationis specie obtexit, atque adeo, suis aliorumque philosophorum usus decretis et opinionibus, liberius immutavit atque exornavit. Sed his praemissis videamus de singulis.

Primum autem placitum, unde reliqua fere omnia suspenduntur, illud putamus, quod mundum voluit anima atque mente praeditum esse, ut propria quadam atque sua vivendi libertate utatur, ideoque sese arbitrio suo moveat. Quod quidem nemo erit quin protenus videat planissime congruere cum his, quae loco nobilissimo Timaei p. 29. D. de eadem re disputantur. Ibi enim Deus, quippe intelligens nullam rem mente destitutam assequi virtutem eorum, quae mente praedita sint, mentem vero sine anima esse posse nullam, etiam corpori mundano animam cum mente tribuit, eoque modo opus mundi fabricae longe praestantissimum absolvit. Enimvero accepit philosophus hanc de anima mundi opinionem a superioris aetatis philosophis, imprimis Pythagoreis, quorum sententiam tamen nonnihil immutavit et ad suae doctrinae rationem conformavit, sicuti demonstrasse videmur Prolegg. ad Tim. p. 48 sqq. Eadem igitur etiam in Politico usus est ad illustrandum varium mundi statum et conditionem, qualem pro aetatum vicissitudine fuisse vel futurum esse arbitratus est. Sed praeterquam quod mundum instruxit anima atque mente, eidem etiam attribuit hoc, ut divinorum praeceptorum meminisse et rectum

*) Itaque falluntur sane, qui quae Plato in Timaeo de originibus mundi aliisque id genus rebus exposuit, ad merae allegoriae speciem referunt, quod nuper fecit Ed. Zellerus: *Platonische Studien* p. 208 sqq.; sumit enim philosophus atque posuit propter suas quasdam rationes quae verisimilia essent; sed non minus errare existimandi sunt, qui quae ibi traduntur, ab eo putant pro certis et exploratis posita esse neque reputant causas, cur ea fabularum involucris potius quam argumentationibus dialecticis ostensa sint.

cursum aliquamdiu tenere possit, usque dum vi innatae cupidinis prorumpente nimio sui amore captus institutionis divinae prorsus immemor fiat et indulgentia sui corporeae materiae vitia alat potius quam coercent et expellat. Quae etsi prima specie habere videntur quaedam singularia, tamen re diligentius considerata haudquaquam pugnare existimanda sunt cum iis, quae de mundi anima et natura in aliis Platonis libris docentur. Nam etiam in Timaeo p. 37. A sqq. animae mundi h. e. ipsi mundo tanquam animali cuidam, hoc proprium esse dicitur, ut ita tantum rectas opiniones vel etiam rationem et scientiam suscipiat, si partes animae omnes libere moveantur neque ullo modo perturbentur. Quid igitur, si contra eveniat? Enimvero a Deo quidem mundus bona omnia accepit. Sed quum universum ex materia esset componendum, necessitatis vis effecit, ut ipsi naturae corporeae labes atque infirmitas adhaereret, in quo secundum Platonem malorum fons est longe uberrimus. Hinc igitur fit, ut sicuti homo, ita etiam mundus possit a rationis legibus aberrare ac discedere: nam materiae vires perpetuo reluctantur huius imperio; sed eadem illae *μωροθεΐσαι φρονήσεως τὸ τυχὸν ἀτακτὸν ἐκάστοτε ἐξεργάζονται*. Ita igitur haec quoque satis perspicua sunt, facileque apparet, ex quibus ea ducta sint fontibus. Nam omnia referunt maximam cum iis similitudinem, quae exposita in Timaeo leguntur. Iam vero nec ea, quae de duplici mundi motu traduntur, obscura videntur esse. Fieri quidem potest, ut philosophus in hac sententia exponenda vulgarem traditionem sacerdotum Aegyptiorum ob oculos habuerit. Narrat enim Herodotus libr. II. c. 142. p. 178. ed. Wesseling. ab istis de priscis mundi temporibus non pauca similia posteritatis memoriae tradita fuisse. Inter alia ille etiam haec scribit: Quocirca intra undecies mille trecentos et quadraginta annos narrabant deum nullum forma ac specie humana extitisse: intra illud vero temporis spatium dicebant solem quater extra solitam sedem suam ortum esse, et ubi nunc occidit, ibi his occidisse? Haec igitur atque alia similia fieri sane potest, ut Plato in hac sua narratione respexerit *). At enim vero ut id sic se habeat, tamen haec quoque

*) V. Plessingii Memnon. Cap. II. P. III. Sect. 3. et Part. IV. Sect. 3. §. 2. p. 293 sqq.

planissime ipsius cum ratione conveniunt, qualem ad Pythagoreorum exemplum in Timaeo exposuit. Nam in Timaeo p. 35. A sqq. ex eo, quod animae mundanae duplex tribuitur elementum, alterum corporibus simile, τὸ θάτερον, alterum τὸ ταύτον, quod divinitati est cognatum, etiam duplex coeli motus declaratur, siquidem orbis fixarum stellarum sive coelo extimo tanquam diviniore ἢ φορὰ τῆς τοῦ ταύτου φύσεως tribuitur, hoc est, motus sempiternus, aequabilis, constans, qui orientem versus cietur; planetis autem atque soli assignatur ἡ φορὰ τῆς θάτερον φύσεως, quae alteri illi contraria est atque minoris perfectionis virtutisque argumentum. Quae et ipsa partim ex Pythagoreorum doctrina repetita esse non iniuria nobis videmur statuisse in iis, quae huius loci illustrandi gratia scripsimus in commentariis nostris p. 147 sqq. Quid igitur? nonne quae ibi de duplici siderum et planetarum cursu traduntur, plane hic traducta sunt ad duplicem mundi aetatem, ita quidem, ut quae coelo extimo attribuitur conversio, ea Saturnio aevo tanquam divino adscribatur, quae autem reliquis corporibus mundanis illic propria dicitur esse, ea ferreae aetati vindicetur? Enimvero magnopere fallor, aut observatio illa discriminis inter motum coeli extimi et reliquorum siderum cursum huic commento tanquam ansam praebuisse existimanda est.

Pergimus ad considerandas causas, cur beata illa tempora, quibus omnia divino imperio paruerunt, aliquando cessavisse dicantur. Repetuntur vero illae a fati quadam necessitate, qua ita destinatum fuerit, ut omnia certo quodam temporum orbe exacto in deteriore statu laborerent. Qua de re lectu digna sunt quae hospes Eleaticus p. 272. D. E. disputat: ἐπειδὴ γὰρ πάντων τούτων χρόνος ἐτελεύθη καὶ μεταβολὴν ἔδει γίγνεσθαι καὶ δὴ καὶ τὸ γήινον ἤδη πᾶν ἀνήλωτο γένος, πάσας ἐκάστης τῆς ψυχῆς τὰς γενέσεις ἀποδεδωκνίας, ὅσαι ἢν ἐκάστη προεστράθεντα, τὸσαῦτα εἰς γῆν σπέρματα πεισοῦσης, τότε δὴ τοῦ παντός ὁ μὲν κυβερνήτης — εἰς τὴν αὐτοῦ περιωπὴν ἀπέστη, τὸν δὲ δὴ κόσμον πάλιν ἀνέστρεφεν εἰμαρμένη τε καὶ ζῆμνοντος ἐπιθυμίας; ubi illud ἔδει nihil aliud est quam: erat in fatis. Sed qua tandem re illam satorum necessitatem adductam esse putabimus? Nimirum, ego si quid video, hic quoque philosophus significat, propter terrenae materiae concretionem factum esse, ut aliquando omnia in peius verterent,

id autem inexplicabili quadam ratione ita evenisse. Etenim ὃν οὐρανὸν καὶ κόσμον ἐπωνομάκαμεν, πολλῶν μὲν καὶ μακαρίων παρὰ τοῦ γεννηθέντος μετείληφεν, ἀτὰρ οὐδὲν δὴ κοινῶν ἡμεῖς καὶ σώματος· ὅθεν αὐτῶ μεταβολῆς ἀμοίρῳ γίνεσθαι διὰ παντὸς ἀδύνατον, ut ait Elcates p. 269. E. Itaque corporeae materiae vi aliquando ingruente, quum omnia a divina ratione averterentur, factum esse censet, ut alia temporum periodus initium caperet. Tunc igitur etiam omne genus terrenum consumtum erat: hoc est, non amplius nascebantur homines a sui amore alieni et cum divino rerum universitatis ordine tanquam natura sua concreti, quandoquidem unaquaeque anima omnes persolverat generationes tanquam debitum aliquod, ut iam tandem necesse esset, alios nasci homines, alia generari animalia*). Quocirca nati sunt mox qui suarum rerum studiis unice dediti essent, suas cupiditates explerent, denique suas sibi res haberent, evanuitque prorsus beata illa aetas, qua omnia tanquam communi divinitatis vinculo continebantur. Notandum quod iure Plato ita de caussis mutatorum temporum statuerit; illud autem pro instituti nostri ratione videndum est, num haec cum iis concordent, quae alibi de similibus rebus disseruit. Atque hoc iure quodam nostro affirmare nobis videmur. Nam quae in libris Reipublicae de caussis interitus optimae civitatis et in Phaedro de animorum lapsu exponuntur, ea profecto his adeo sunt similia, ut facile appareat, eundem hominem, qui ista scripserit, etiam quae in Politico leguntur, scribere potuisse. Videamus igitur, quid sit, quod de optimae civitatis ruina docetur. Pertinet huc notissimus ille locus Reipubl. libri VIII. p. 546. A sqq. Ibi igitur fatali quadam lege aliquando ita eventurum docetur, ut exacto certo quodam numero annorum peior parentibus progenies oriatur atque civitatis principes in iuvenibus et puellis ad procreandam sobolem deligendis delinquant. Quocirca Musae introducuntur sic vaticinantes: οὐ μόνον φρεσὶς ἐγγείσθαι, ἀλλὰ καὶ ἐν ἐπιγείοις ζῶσις φροσὶ καὶ ἀφροσὶα ψυχῆς τε καὶ σώματος γίγνονται, ὅταν περι-

*) Sic enim locus ille p. 272. E. intelligendus est. Conf. Phaedr. p. 247. C. — 250. B. Tim. p. 43. A., ex quibus locis sententia Platonis suam lucem accipit. De verbis eorumque constructione hic dicere non attinet.

τροπὰ ἐκάστοις κύκλων περιφορὰς ξυνάπτωσι, βραχυβίοις μὲν βραχυπόροισι, ἐναντίοις δὲ ἐναντίας γένους δὲ ὑπετέρου ἐγγονίας τε καὶ ἀφροσίας, καίπερ ὄντες σοφοί, οὓς ἡγεμόνας πόλεως ἐπαίδευσασιθε, οὐδὲν μᾶλλον λογισμῶ μετ' αἰσθησέως τεύξονται, ἀλλὰ πάροισιν αὐτοῦ καὶ γεννήσουσι παῖδας ποτε, οὐδέον. Quid igitur? nonne ibi optimae civitatis cives pariter dicuntur vitiosa natura degeneravisse, atque id factum in Politico est, ubi aureae aetatis homines iudicantur ideo esse desiisse, quia tota rerum natura ad vitiositatem vel potius ad deteriorems statum et condicionem inclinaverit? Haec igitur adeo inter sese consentiunt, ut nihil magis possit. Non minus vero huc pertinent quae in Phaedro de animis e coelesti vita lapsis disseruntur. Nam quod animi hominum p. 247. C sqq. dicuntur, quum omnes a Deo boni et perfecti essent creati, tamen propter naturae quandam labem et infirmitatem a rerum divinarum contemplatione extitisse alieniores ideoque e beatorum deorum atque daemonum choro in terram detrusi et mortali hoc corpore tanquam carcere inclusi esse; id profecto non aliis nititur caussis atque rationibus, quam quibus firmatur illud, quod in Politico docetur, aureae aetatis finem et exitum ipsius naturae ad corporis vitiositatem proclivioris necessitate esse adductum. Quocirca hic quoque omnia videmus ita esse comparata, ut cum Platonis de talibus rebus opinionibus in aliis operibus explicatis non modo non pugnent sed pulcherrime consentiant.

Sequitur, ut ad utriusque aetatis descriptionem examinandam accedendum sit. Et hanc quidem dubium non est quin philosophus quam solertissime ad similitudinem eorum composuerit, quae a poetis imprimisque ab Hesiodo erant tradita et exposita. Verum quantumvis omnia coloris poetici referant speciem, tamen re accuratius considerata videbuntur ad ipsius sententiam illustrandam esse accommodatissima. Distinguit Plato, ut antea vidimus, duas mundi aetates. Harum alteram voluit esse divinam, quippe qua omnia perfectissime obediunt voluntati divinae, nec quidquam ab ea ita abhorrerit, ut per se solum esset aut ab universi natura, plena illa tunc divino numine, seiunctum ac separatum. Quocirca tunc omnia uno divinitatis vinculo quam arctissime continebantur, necdum terrestria a divinis erant divulsa aut abalienata, quippe vi corporis nondum grassante petulantius sed rationis imperio perpetuo subiecta. Itaque

nec inter homines tunc ullus erat amor sui, quo a rerum natura divinoque imperio aversi sibi solis viverent, suis rebus studerent, suis denique cupiditatibus fovendis alendisque ad pravitatem deducerentur. Summa autem regnabat vitae felicitas, quum nullae cupiditates ac lubricines ex corporum necessitatibus oriundae beatum illum vitae humanae ac divinae concentum turbarent. Unde nec civitatibus fuit opus. Hanc igitur aetatem philosophus descripsit iis usus imaginibus, quas magnam certe partem iam a poetis adhibitas videret. Huc pertinent quae de regno Saturni ceterorumque deorum eius imperio subiectorum narrantur; huc spectant item, quae de felicitate illius aetatis explicata legimus, qua ita factum esse dicitur, ut ipsa natura, quippe voluntati divinae morigerata, ultro ac sua sponte praebuerit quae ad vitam sustentandam ornandamque necessaria essent; huc denique referuntur, quae de mutua animantium generatione tunc quidem nondum usitata disseruntur; nam quum omnia cum universa rerum natura copulata essent arctissime nihilque reperiretur, quod ab ea seiunctum separatumque sibi soli viveret aut sibi uni indulgeret, consequens sane fuit, ut nec genera animalium per se vigerent et ab natura rerum communi segregata, sed ex divinarum corporearumque rerum consensione vi divina sese exerente sponte orirentur. Atque haec quidem omnia iam nemini obscurum erit quomodo intelligenda sint et quam elegantia solertia ad ea significanda adhibeantur, quae philosophus de priscae illius aetatis conditione sensit. Ab hac autem periodo distinguitur ac seiungitur altera, qua fatali quadam necessitate dicitur ita factum esse, ut novus rerum omnium ordo oriretur. Quae qualis depingatur, ex superioribus perspicuum esse debet. Nam discidium quasi quoddam naturae tunc factum esse indicatur, siquidem vis materiae invalescere ac se in libertatem quasi quandam imperio divino immunem atque vacuum vindicare occoepit. Etenim summus Deus, ut est in fabula, a mundi gubernaculis recesserat; discesserant item dii inferiores a suis quisque stationibus; denique mundus suo ferebatur impulsu atque impetu, sed ferebatur sic, ut materiae vi ingravescente statim ab initio contrario atque antea motu agitaretur et in dies magis institutionis rationisque divinae immemor existeret. Nam anima mundo indita Deo ipso absente non tantum valebat, ut feras et exsultantes materiae vires in omne tempus per-

domaret, quandoquidem ipsa quoque, quia est dividua, corporum naturae cognata est. Iam vero facto rerum divinarum atque corporearum divortio inter animantes etiam ingruit ista quasi abalienatio a rerum naturae divinitate repletae communione. Nam unumquodque genus animantium per se seorsum vigere coepit; sua potius cupiditate quam totius naturae studio et amore communi impelli maluit; ad suum arbitrium constituit agere; denique suae indulsit lubricini, ut vis rationis pedetentim magis evanesceret. Quocirca etiam homines tunc non communem habuerunt parentem naturam, sed ex se mutuo generati sunt. Et quum olim summa securitate et tranquillitate usi essent regni Saturnii cives, tunc ita evenit, ut singulari deorum procuratione destituti multos labores et calamitates experirentur. Quae omnia quum facile iam perspiciatur qua ratione intelligenda sint, copiosiore eorum interpretatione haudquaquam opus esse existimamus. Sed illud non supervacaneum erit observasse, quacnam initia et primordia civitatum fuisse philosophus arbitretur. Retulit igitur ea ad hominum indigentiam vitaeque communis utilitatem. Quocirca aureo quidem saeculo censet civitates extitisse nullas, quia homines nulla inopia laboraverint; nam ubi Deus exercet imperium, ibi una regnat perfecta aeternaque ratio, quae sola est felicitis vitae causa ac tutela; sed condici coeptas eas iudicat ex quo homines fatali quadam naturae lege, divina custodia destituti, suo more suoque arbitrio vivere coeperint. Tum vero, inquit Eleates, multa mala in eos irruerunt. Nam premebantur artium omnium inopia, propterea quod finita vita priori, qua iis omnia ultro suppeditabantur, res ad vitam sustentandam necessarias sibi comparare nondum didicerant. Laborabant praeterea discordia, rixis, contentione. Infestabantur denique a feris, a quarum impetu se defendere aegre poterant. Itaque dii eorum miseriti istam indigentiam et inopiam levare et avertere decreverunt. Nam ignem iis attulit Prometheus, artes dederunt Vulcanus et Minerva, semina atque plantas alii largiti sunt. Hinc igitur inventa sunt denique quae ad vitam instruendam ornandamque valerent: nam deerat hominibus benigna deorum procuratio ideoque ipsos oportebat vitam moderari ac tutari suam eiusque necessitatibus prospicere, quemadmodum idem etiam universus mundus facere tunc coactus fuit; cuius imitantes exemplum in aeternum modo hac modo

illa ratione vivimus, atque nascimur *). Haec igitur Eleates de vita hominum, quae altera mundi periodo extiterit. Quae dici non potest quantopere convenient cum iis, quae Protagoras in dialogo cognomini p. 320. C. — 322. D. de originibus civitatum disputat. Nam ibi homines item ab initio dicuntur fuisse nudi, incermes, denique eorum omnium expertes, quae ad vitam degendam necessaria sunt, usque dum denique per Prometheum Vulcani et Minervae artem acceperint atque a Mercurio, Iovis nuntio, ius et pudorem adepti sint, ut essent civitatum vincula et ornaamenta. Itaque utroque loco philosophus poëticas narrationes, in quibus philosophiae quasi semina quaedam abscondita laterent, ad suam ipsius rationem prodendam exornandamque sapienter adhibuit. Ipse enim sibi persuaserat penitus, civitatum initia non aliunde nisi ab hominum indigentia atque necessitate repetenda esse **); id quod etiam in Politia libr. II. p. 369 B., ubi Socrates optimam civitatem condere instituit, his verbis professus est: *γίνεται τοίνυν πόλις ὡς ἐγώμει, ἐπειδὴ τυχάνει ἡμῶν ἕκαστος οὐκ αὐτάρκειας, ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεής· ἢ τίν' οἶσι ἀρχὴν ἄλλην πόλιν οἰκίσειν;* professus etiam est Leg. III. p. 678. Quamobrem haec quoque quam solerti artificio sint enarrata, neminem fore putamus quin protenus perspiciat. Superest una narrationis pars, de qua aliquid monendum videatur.

Dicuntur enim initio cuiusque aetatis, ubi corpus mundanum in contrariam atque antea partem agitari coeperit, maximae rerum omnium mutationes evenisse: quae quales sint, antea in totius sermonis enarratione ostendimus. Quarum descriptio dubitari sane potest quomodo intelligenda sit. Non omnia tamen hic premeunda esse, ut ex singulis aliquam sententiam eruas, sed pleraque omnia lusui ingenii deberi atque toti fabulae convenienter exornata esse, vix ambigere licebit ***). Redeunt autem

*) V. p. 274. B — E.

**) V. Hensdii Initia Philos. Plat. Vol. III. p. 55. et 135 sq. Platoni adversatur Aristoteles Reipubl. III. 9.; qui non tam necessitatis quam boni et honesti causa societatem civilem fundatam esse censet. De aliorum sententia dixit Ang. Maius ad Cicer. De Rep. I. c. 35. p. 70. ed. Tubing.

***) Pertinent huc illa p. 270. D. E. quo loco perquam lepide rerum conversiones describuntur ex contractis universi motibus oriundae. Nam ubi agitationis contrariae tempus adve-

omnia denique eo, ut in rerum natura ostendatur tum maximas incidere rerum conversiones, quum ipsius mundi rationes commutentur. Putarunt tamen sancti quidam patres ecclesiae, inter quos sunt Eusebius Praeparat. Evang. c. 18. et 33. p. 561. ed. Viger., et Augustinus De Civitate Dei X. c. 18. Platonem eo loco, ubi Saturnia aetate denuo exoriente omnia dicit alia fieri atque homines rursus ex terra prodire, de rerum omnium restitutione atque resurrectione mortuorum cogitavisse in eaque sententia exponenda clam usum esse sapientia Hebraeorum *). Et fatetur utique hospes Eleaticus aliunde se haec didicisse. Sed neutiquam ille Hebraeos significat, sed potius eos maiorum, qui primi post antegressam aetatem nati fuerint **). Nec profecto quemquam fugiet inter Platonis de his rebus sententiam atque

nit, ibi dicitur primum cuiusque aetas consistere nec procedere ulterius; deinde etiam reverti ad iuventutem et infantiam, usque dum evanescat. Quocirca cani senum capilli, ut ait Eleates, rursus nigrescunt; barbae lanugo in genis eorum, qui iam adoleverunt, rursus evanescit, ut ipsi repente imberbes evadant et ad pristinum florem aetatis reducantur; adultorum corpora porro paulatim decrescunt redeuntque in naturam infantium; marcescentia corpora et languentia brevi absumuntur; occisorum cadavera paucis diebus extinguuntur. Haec igitur atque alia id genus quis est quin videat rerum naturae quidem convenienter, at tamen lepide et facete ficta esse? Quocirca operam perdiderit, si quis haec omnia ad vivum reseccare voluerit ideoque quaerendum existimet, cur capillorum potissimum aut barbae mentio sit iniecta.

*) Eusebius quidem certe c. 18. Hebraeorum sapientes dicit ipsum occupavisse, *αὐτὸν εἶναι προσηλωτότατον*, scilicet probaturus, Graecum philosophum ab illis aliquid discere potuisse. Sed longius processit Augustinus. Nimirum fuit omnino hic mos patrum ecclesiasticorum, ut similitudinem philosophiae Platonicae cum doctrina religionis Christianae, quae videbatur, exinde repeterent, quod Plato in itinere in Aegyptum suscepto vel libros sacros Iudaeorum cognovisset, vel cum doctis Iudaeis esset conversatus. Quam sententiam etiam Iosepho, Aristobulo et Numenio fuisse probatam doceant quae his de rebus disseruit Ackermannus in libro: *Das Christliche im Plato* p. 4 sq.

**) Nam p. 271. A. *ἀπεμνημονεύετο δὲ ὑπὸ τῶν ἡμετέρων προγόνων τῶν πρώτων οἱ τελευταῖοι μὲν τῆ προτέρι περιφορῆ τῶν ἐπὶ χρόνον ἐγενήσαντο, τῆς δὲ κατ' ἀρχὰς ἐγένοντο.* Omnino temere veteres sumunt, quod nullo argumento idoneo probaveris, Platonem, Aristotelem, aliosque doctrinam suam ab Iudaeis accepisse aut ex libris sacris hausisse.

ea, quae a sacris scriptoribus de iisdem traduntur, plurimum discriminis intercedere. Etenim philosophus ista adumbravit potius ad similitudinem eorum, quae de ortu terrigenarum in fabulis narrabantur: quod autem quandam quasi rerum palingenesiam statuit, ad eam sententiam per ipsius fabulae argumentum et rationem deductus videtur. Quanquam fieri potest, ut hic quoque superiorum philosophorum opiniones quasdam ad rem suam traxerit.

Atque haec quidem de loci gravissimi atque difficilissimi sententia exposuisse sufficiet. Videmur enim iam planum fecisse, quorsum et universa narratio pertineat et singulae eius partes referendae sint: neque amplius dubitabitur, opinor, de via et ratione, qua philosophus in tota fabula componenda et exornanda versatus sit.

Sequitur, ut quae de singulis Platonici operis partibus hactenus exposuimus, ea nunc tandem in unum colligamus eoque modo demonstramus, quidnam sit summum illud atque ultimum, quod universo operi propositum esse iudicari oporteat. Quod enim in poetis scenicis merito expectamus, ut fabulae eorum, etiamsi ex variis et multiplicibus partibus sint compositae, tamen in se consentiant et unum quasi corpus efficiant, propterea quod mentis nostrae ea est indoles ac natura, ut quaecumque de quapiam re sentiuntur atque cogitantur, ea, si quidem absolutionis numerum habitura sint, denique in unum coire cupiamus; idem prorsus etiam in dialogis Platonis requiritur, quippe qui iure suo pro perfectissimis artis operibus et olim habita sunt et nunc quoque haberi solent. Quid igitur? quamnam tandem formam ac speciem universi operis dicemus esse, quae menti scriptoris obversata sit et ad quam singula atque cuncta retulerit? et quamnam censebimus esse singulorum partium convenientiam, ut ista forma ac species eius perfecte exprimat et tanquam imago quaedam mentis quasi oculis proposita cernatur? Explorabimus, opinor, hoc optime sic, si quaenam sit omnium cogitatorum tanquam summa, ad cuius explicationem et illustrationem omnia ac singula referantur, paucis exquisiverimus.

Perspicuum est autem ex superioribus, tres potissimum totius libri partes principales discerni oportere, quarum una maxime in dialecticis versatur, altera narrationem continet de mundi gubernatione pro varietate aetatum varia ac diversa, tertia denique in informando

perfecto civitatis rectore ac depingendis vanis eius imitatoribus occupata est. Quae quidem partes qua ratione coagmentatae sint et quo vinculo inter se contineantur, ut omnia sibi constant et ad unum eundemque finem tendere videantur, id sic putamus tutissime exploratum iri, si primum de eo loco viderimus, qui sine controversia omnium gravissimus censendus est. Is vero quina sit, neminem profecto fugiet, qui omnem disputationis rationem progressionemque accuratius lustraverit ac secum perpenderit. Etenim hac re diligentius deliberata protenus apparebit, summam operis maxime in rerum civilium expositione ac diiudicatione cerni, ac ne ea quidem, quae ad dialectica pertinent quaeque de variis mundi aetatibus narrantur, si summam rei spectes, aliorum referri nisi ad quaestionem de vera et adulterata arte civili variisque eius vel simulatoribus vel possessoribus agitatum. Ex quo consequens est, ut scriptoris consilium in iis potissimum cerni existimandum sit, quae disputantur de rebus civilibus.

Haec omnia autem quorsum denique pertineant, post eam, quam in superioribus dedimus, singularum rerum explicationem videmur verbis paucissimis declarare posse. Depinxit enim Plato formam ac speciem perfecti civitatum rectoris ac gubernatoris, quem eundem voluit esse philosophum. Cuius quidem imago quo redderetur illustrior, habita temporum suorum ratione, opposuit ei et veluti e regione collocavit quotidianos istos rerum publicarum administratores, qui vulgi opinione scientiae civilis laude ac virtute plurimum excellere existimabantur. Quocirca unum sapientem censet verum esse regem, verum principem, verum virum civilem, civitatemque eam, in qua talis vir reipublicae gubernacula teneat, longe optimam atque perfectissimam, quippe quae mentem atque rationem legibus omnibus potiore habeat rerum suarum magistratam et gubernatricem; illos autem qui vulgo artis civilis laude celebrabantur, nihil aliud esse vult nisi perfecti illius principis vanos quosdam imitatores eosque ab illius laude atque virtute tanto maiore intervallo remotos, quo magis in iis civitatibus, quibus praefecti sint, neglectis rationis praeceptis, vis lubricitatis et prava cupiditatum studia gliscere coeperint. Hoc igitur illud esse putamus, quod Plato in hoc opere ostendere potissimum ac demonstrare sibi proposuerit, nec ullo pacto iis assentimur, qui id maxime spectari iudicarunt, ut aut

dialecticae artis quaedam exhiberetur institutio aut illi castigarentur ac reprehenderentur, qui vulgo in tractanda republica versabantur. Atque illam ipsam sententiam, quam diximus, quum philosophus praeclaro artificio summaque elegantia illustraverit, nostro quidem iudicio simul hoc consecutus est, ut redarguerentur voces eorum, qui philosophos, a republica alienos, vel maligne carperent et reprehenderent vel etiam prae aliis fastuose contemnerent ac despicerent. Quod quam conveniens iis fuerit temporibus, quibus librum litteris consignatum atque editum esse verisimile est, antea videmur satis demonstravisse. Haec igitur principalis est operis sententia, in cuius illustratione atque expositione reliqua omnia tanquam in cardine aliquo versantur. Cum hac ipsa igitur etiam conveniant necesse est, quae praeterea in hoc sermone disputantur. Nam alioquin profecto de eius maxima virtute actum fuerit. Et conveniunt sane prorsus egregie.

Cohaerent enim primum cum civilium rerum disputatione arctissime quae de varia mundi gubernatione et fortuna narrantur. Quae etsi prima specie aliorum videntur pertinere, tamen sapientissime cum primario disputationis argumento nexa et coniugata sunt. Nam quo clarius appareat certiusque intelligatur, quantum ad civitatum salutem atque felicitatem referat, ut in iis regendis administrandisque mens et ratio valeat, quae omnia ad eius, quod optimum sit, normam et regulam exacta moderetur, illarum regimini atque fortunae tanquam e regione collocatur totius mundi exemplum, quippe in quo eadem naturae lex dominetur, quam in rebus publicis observare liceat. Itaque optima illa civitas, in qua unus sapiens imperium exercet, cum aevo mundi Saturnio comparatur, quo ob id ipsum, quod ratio divina per omnia vigerit, summa regnaverit beatitas; reliquae autem civitates, quae ex humanae naturae imbecillitate dicuntur duxisse originem, componuntur cum ea aetate, qua per totam rerum universitatem, ingruente vi materiae, cupiditatum impotentia et coecus amor sui a divinarum rerum communione aversus invaluerit et quum ubique tum etiam inter homines grassari coeperit. Quae si evidentius etiam explanandum sit quomodo cum primario operis argumento connexa sint, mentem et sententiam philosophi sic fere declaravisse iuvabit. Perfectus germanusque rerum publicarum gubernator unus est verus sapiens

isque in ea una reperietur civitate, in qua exulta atque perfecta sapientis ratio pro una atque summa lege valeat, sicuti divini rerum universitatis imperii praestantiam et virtutem credere fas est ea tantum mundi aetate eluxisse, qua cuncta divinae rationis imperio parnerint: qui autem in iis civitatibus publicis funguntur muneribus, in quibus nunc fere vivitur, ii, quoniam non ratione pro norma et regula agendi utuntur, sed ex legibus, illa multo inferioribus, et nunc sapientius nunc imprudentius scriptis, suam potestatem exercent aut illis adeo contentis mero arbitrio dominantur, fieri non potest ut veram rectamque artem civilem tenere existimandi sint; imo etiam civitates ipsae, quarum illi res administrant, tanto sunt deteriores atque miseriore, quo magis, gliscentibus partium studiis atque cupiditatibus, rationis iussa negliguntur atque contemnantur; prorsus ut divinare licet etiam tota rerum universitate inde ab eo tempore factum esse, quo, rupto communi divini imperii vinculo, corporum vi ac potentia sese iactante petulantius, omnia atque singula tanquam sui iuris fieri concupiverint ideoque non amplius vitae divinae praesidiis munita in dies magis corporeae materiae lubricum indulserint. Ita igitur si haec inter se copulaveris, facile opinor senties, quam arcte omnia inter ipsa cohaereant, ut prorsus ad unam se rationem referre existimanda sint. Verum singulari artificio philosophus sic instituit, ut interposita illa narratione simul aliud quid significaverit, quod et ipsum ad rem praesentem gravissimum censi debet. Nam sicuti humanis civitatibus totius rerum universitatis exemplum proposuit, unde quid de sapienti illarum gubernatione statuendam sit cognoscatur; ita vicissim illarum cum rerum natura comparatione obscure videtur indicavisse, quid liceat divinare de temporum quasi orbibus illis et circuitibus, quibus antiquitatis testimonio et prudentissimorum hominum iudicio res divinae pariter atque humanae magnas subinde conversiones ac vicissitudines experiantur. Etenim vitam humanam Plato censuit tanquam repercussam quandam imaginem esse communis illius vitae, qua tota rerum natura veget, ideoque ab illius rationibus de hac ipsa coniecturam capi posse certo sibi persuasit. Quae quidem sententia sicuti per se granditate atque sublimitate valde insignis est, ita etiam universae disputationi in hoc libro institutae eam affert gravitatis atque dignitatis commendationem, ut hinc de-

num sentire plane atque intelligere incipiamus, quaestionem agitari de re non ad humanam tantum vitam sed etiam ad omnem rerum universitatem longe maxima. Quod quis est quin videat cum iis, quae de rebus ad rempublicam pertinentibus disseruntur, ita convenire, ut iis non modo non adversetur verum etiam plurimum luminis afferre existimandum sit?

Et hactenus quidem vidimus, earum certe libri partium, quae in consideranda divina et humana arte gubernatoria versantur, tantam esse necessitudinem et conjunctionem, ut altera cum altera aptissimo unitatis vinculo contineatur, utraque autem ad absolvendam consummandamque universae disputationis tractationem prorsus necessaria sit. Sequitur ut de tertia operis parte quaerendum sit, quam antea ostendimus praecipue pertinere ad dialectica. In qua recte aestimanda iudicandaque illud inprimis tenendum est, de quo identidem in superioribus monuimus, id agi in Politico, ut philosophus in ipsius vitae actione tanquam reipublicae gubernator constitutus informetur. Verus autem germanusque philosophus secundum Platonem idem est dialecticus, quippe quum dialecticae demum usu fieri queat, ut ad veri, boni, honesti vim naturamque cognoscendam perveniatur*). Quam sententiam ei tum quoque fuisse probatam, quum Politicum litteris consignavit, clarissime intelligitur ex eo, quod eam et in Sophista p. 253. C sqq. eleganter explicuit et in Parmenide ipsius disputatoris exemplo illustravit clarissime. Itaque eundem illum disputatorem, quem de philosopho perfecta rerum civilium scientia ornato disserentem fecit, prudentem talem instituit, qui dialecticam facultatem non mediocre adeptus utique philosophi nomine dignus videatur: est enim idem etiam moderatus, veri amantissimus, eiusque exquirendi adeo studiosus, nihil ut intentatum relinquit, quo ad eius rei, de qua quaeritur, perspicentiam perveniat. Quod quam accommodate ad primum operis argumentum ita fictum sit, nemo erit quin ipse pro se facile animadvertat. Nam ita is, qui disputans inducitur, suo ipsius exemplo quodammodo indicat, qualem esse deceat

*) V. de Republ. V. p. 480. VI. p. 511. VII. p. 534. B. C. conf. Phaedr. p. 265. D. 266. C. 270. DE. 273. E. Philib. p. 15. D. 16. E. 17. A.

philosophum, qui sophistae eodem modo oppositus sit, quo verus ille perfectusque rerum publicarum rector et gubernator a vulgaribus civitatum procuratoribus differat. Apparet enim non alium esse nisi eum, qui veri repertiendi studio incensus etiam dialecticam facultatem sibi acquirere studeat, ideoque ad id, quod revera est, reperiendum ac diiudicandum omni studio feratur. Quocirca in Politico dum philosophus ut perfectus civitatis gubernator instituitur, qui ab iis longissime diversus sit, qui in veris rebus publicis communia curent negotia et publica munera obeant, ipso disputandi genere significatur, quatenus idem, siquidem disserendi subtilitate uti velit, qua sophistae superbire soleant, sophistae plane contrarius videri debeat. Quanquam philosophus tanquam dialecticus plene atque perfecte in Parmenide demum describitur. Iam vero talem disputatorem quod Plato nunc non Socratem suum, sed sapientem aliquem Eleaticum fecit, eius rei causae plures possunt afferri. Primum enim reputandum est, hunc dialogum arctissima necessitudine cum Sophista et Parmenide contineri, in quibus libris cur disputatio ab Eleaticis instituitur, alio loco explicavimus. Deinde philosophus in memoriam temporum Megaricorum, quae ipsius animum atque mentem ad dialecticam subtilitatem advertissent, et quantum discernendi pariter atque coniungendi solertia ad philosophandi virtutem valeret commonuissent, condere voluit monumenta, quae testimonium quoddam exhiberent grati erga eos animi, qui ipsum ad meliora quaerenda et investiganda non modo excitassent, verum etiam impulsissent. Porro etiam id egit, ut quae a Megaricis praeclare essent inchoata nec sine laude suscepta, ea vel ad suam quandam legem adstringeret vel cum Socratica ac sua ipsius disserendi ratione conciliaret. Quamobrem hospitem Eleaticum sic fecit disserentem, ut non modo iis, quae suo more et consuetudine ratiocinatur et concludit, subinde prudentissima dialectices praecepta interponat, verum etiam denique imprudens ad Socraticam colloquendi disputandique rationem delabatur. Denique quum vellet philosophum ut dialecticum e regione ponere sophistae dialectico acumine male abutenti, ne potuit quidem Socratem inducere disputantem, quippe qui ab isto disputandi genere omnino abhorruisset. Quamquam praeclaro saepe invento qua ratione acuta ista ex arte disserendi ratio ad Socraticae dialecticae exemplum

conformari emendarique vel posset vel deberet utique demonstravit. Atque ex his perspicuum erit, opinor, qua coniunctione et necessitudine etiam ea, quae more Megaricorum ex arte disputata esse iudicavimus, cum universi operis proposito et argumento contineantur. Sunt enim et ipsa eiusmodi, quae cum summa disputationis, praesertim si ex temporum rationibus aestimetur, arctissime cohaerere iudicari oporteat.

NE. ΣΩ. Κάλλιστα αὖ τὸν β. ἀπ.] Tribuuntur hæc fere iuveni Socrati. Sed dubito equidem, num ea in adolescentulum adeo modestum, qui per totum sermonem nihil propemodum nisi simpliciter ait aut negat, convenire existimanda sint. Quocirca ea Socrati philosopho adscripserim. Is enim, sicuti exordium Sophistæ docet, huius disputationis auctor fuerat. Quamobrem non est consentaneum, eum absoluto toto hoc de Sophista et Politico sermone, qui uno die habitus fingitur, nihil omnino dicere, sed tacitum plane discedere. Quamquam illud alicui mirum accidat, quod exitus hic dialogi adeo abruptus est. Verum in ea re non est quod hæreamus. Certe similiter alios quoque dialogos finiri meminimus. Accedit, quod hæc si Socrati philosopho tribuuntur, hoc laudis præconium plane convenit cum Politici initio, ubi

ὁμοιοῖα καὶ φιλίᾳ κοινόν ξυναγαγούσα αὐτῶν τὸν βίον ἢ βασιλικῆ τέχνη, πάντων μεγαλοπρεπέστατον ὑφασμάτων καὶ ἄριστον ἀποτελέσασα, [ὥστ' εἶναι κοινόν,] τοὺς τ' ἄλλους ἐν ταῖς πόλεσι πάντας δούλους καὶ ἐλευθέρους ἀμπίσχουσα, συνέχη τούτῳ τῷ πλέγματι, καὶ καθ' ὅσον εὐδαίμονι προσήκει γίγνεσθαι πόλει, τούτου μηδαμῆ μηδὲν ἐλλείπουσα ἄρχη τε καὶ ἐπιστατῆ.

NE. ΣΩ. Κάλλιστα αὖ τὸν βασιλικόν ἀπετέλεσας ἄνδρα ἡμῖν, ὃ ξένη, καὶ τὸν πολιτικόν.

ξυμπλέκειν γίγνεσθαι] Clark. Vat. Ven. II. *συμπλέκειν*. Vulgo *ξυμπλαίεν*. Sed *ξυμπλαίεν* Coisl. et Flor. i. exhibent. *Idem tres optimi deinceps φημὲν pro vulg. φάμεν*. Cornarius conl. *ξυμπλαίεντος*.

Socrates, audita de sophista disputatione, sese felicem prædicat, quod in Eleatici hospitii familiaritatem pervenerit. Quamobrem hic aptissime dicit: Κάλ-

λιστα αὖ τὸν βασ. ἀπει. ἄνδρα, ita ut verbis paucissimis laudem superiorem iteret. Hæc igitur nostra de hac re sententia est; aliis alia placebunt.

PROLEGOMENA

IN

M I N O E M.

PROLEGOMENA

IN

M I N O E M.

Minos Platonis, qui vulgo fertur, ex quo a Frid. Schleiermachero, *Opp. Plat. Germ.* Vol. I. P. II. p. 343 sqq. ed. 2. et Augusto Boeckhio in docta illa Commentatione: In Platonis Minoem et libros priores De Legibus, quae prodiit Halis Saxonum 1806. 8., obelo critico confossus est, communi omnium intelligentium iudicio semper pro subditicio est habitus. Et profecto mirabile est potius, quod fraus in eo admissa doctissimos homines per tam multa saecula fefellit, quam quod non dudum animadversa ac patefacta fuit, siquidem ex iis libris minoribus, quibus Platonis nomen immerito tributum est, nullum fere novimus, qui vitiosius, qui ineptius, qui stolidius sit consarcinatus, quam adulterinus iste Minos. Nam sive ornatum dialogi scenicum consideramus, sive disputationis argumentum ac propositum perpendimus, sive spectamus argumentationis viam et rationem, sive denique genus orationis examinamus et cum Platonis sermone contendimus; nihil est horum omnium, quod non plurimum habeat offensionis et ab elegantia rectaque ratione non dicam Platonis, sed cuiusvis scriptoris prudentioris longissime recedere videatur. Quod ne temere statuisset existimemur, age hac occasione oblata totam caussam denuo in disceptationem vocare liceat.

Itaque Socrates, qui loquens inducitur, est ille quidem sapiens Atheniensis, sed adeo caret urbanitate ac disserendi elegantia, ut subinde praeter consuetudinem ac rationem videatur illepidus, subrusticus, imo etiam plumbeus. Quid enim aliud est, quod statim ab initio dialogi familiari interroganti vehementius regerit istud suum: *Ὅποιον καὶ ἐρωτᾷς τὸν νόμον;* quod profecto aut admirationem aut indignationem prodit? Quid aliud est, quod p. 316. D sq. alterum diutius paullo sermocinantem gravius increpat, neque urbana cum irrisione, sicuti alibi fit apud Platonem, propter declamationis longitudinem exagitat? Quid denique aliud est, quod crebro vana et inania captat, quae ad susceptae disputationis rationes nihil pertineant, sermonemque non ita moderatur ac persequitur, uti recta ratio postulat? Nullus igitur in eo lepos, nulla gratia, nulla venustas, imo nullum veri rectique studium, ut eum considerantibus nobis et cum Socrate Platónico comparantibus ultro in mentem venerint illa Virgilii: „*Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignis!*“ Interlocutor porro qui cum eo disputat, qui sit, ne verbo quidem significatur. Nam ridiculus error est, quo vulgo statuerunt Minoem Cretensem personam eius sustinere: quod si ita esset, nonne insanientis foret, hunc ipsum Minoem tanquam antiquissimum ac praestantissimum legislatorem a Socrate praedicari iubere, nec tamen ullo modo significare, eum ipsum praesentem adesse fingi? Et quaenam istae forent temporum rationes, ex quibus priscus ille Minos cum Socrate disputans induceretur? Haec igitur Bentleius quum pro acumine suo facile perspexisset quam essent inepta atque absurda, *Respons. ad Boyl.* p. 155. ed. Lennep. non Cretensem illum Minoem, sed Atheniensem iuvenem illi cognominem interlocutoris partes agere censuit. Quod tamen et ipsum falsum esse facillime demonstrari potest. Etenim primum quidem Schleiermacherus atque Boeckhius rectissime negarunt Minois nomen Athenis unquam fuisse usitatum. Deinde ex p. 321. D. apparet hominem fingi non iuvenem, sed aetate iam proVectiorem. Denique si Minois ei nomen esset, nonne consentaneum est id eo loco commemoratum iri, ubi Socrates Minois Cretensis laudes praedicat? Enimvero dicendum hic quod res est; caret secundaria persona in

hoc libro omnino nomine. Atque hoc quum mirum quantum a Platonis more abhorreat, tum aliud quid est, quod etiam magis cum eo pugnare existimari debeat. Caret enim eadem etiam ingenio et moribus, siquidem nec qualis sit ullo modo indicatur. Hominem de plebe eumque bene garrulum ac doctrinae laudem temere sibi arrogan-tem esse facile suspiceris. Nam data occasione de rebus vilissimis graviter sermocinatur, perinde ac si magnae profundaeque eruditionis copias in medium afferret, veluti eo loco, quo alias gentes aliis legibus uti exemplis quibusdam evincere conatur; praeterea etiam philosophorum aemulatur subtilitatem, verumtamen eo modo, ut, sicuti fit istiusmodi homuncionibus, non raro ruat turpissime. Verum haec omnia adeo non designantur accurate, ut vel sic hominem in occulto latere omnibus confitendum sit. Itaque nec universo operi Minois nomen ab eo impositum esse credibile est. Quod ineptissime repetitum est potius ab extrema libelli parte, quae de Minoe praestantissimo antiquitatis legumlatore explicat, prorsus ut Hipparchus quoque nomen accepit ab ea parte libri, quae in praedicandis Hipparchi meritis versatur. Atque hinc denique prodiit bellus ille Minos interlocutor, quem vulgo statuerunt secundarias partes sustinere, quemque nullum esse modo ostendimus. Sed praeter haec vitia, in personarum descriptione conspicua, etiam alia sunt, quae, si externam dialogi speciem contemplerur, non mediocrem habeant offensionem. Exordium enim plane est nullum. Socrates statim ad alterum: *Ὁ νόμος τί ἐστίν;* Quo facto hic ut diximus, calidius iusto: *Ὅποιον καὶ ἐρωτᾷς;* Tum strenue quo inceptum est modo deinceps pergitur. Quae legentes propemodum cernere videmur ruralem aliquem ludimagistrum ex puero statim ab initio sermonis de rei principalis vi et natura interrogantem, puerum autem ad eam quaestionem stupentem atque ringentem. Nec melior initio dialogi exitus. Nam ut taceam nihil ibi de quaestione agitata decerni, hiant illic omnia misere. Ipsa narratio de Minoe, Rhadamantho, Taloe, ibi exposita, sicuti mox ostendemus, a principali disputationis argumento aliena; sed magis etiam sunt absurda, quae ei in ipso sermonis exitu subiiciuntur, ut Platonicae artis nec vola nec vestigium appareat. Quae ipsa causa fuit, quamobrem Patricius *Discuss. Peripat.* p. 338. alique viri docti librum sine truncatum iudicarent. At enim vero

non ille fine caret, sed artis perfectione et recto mentis consilio, ut truncus aliquis eum scripsisse videatur.

Sed accedamus nunc ac considerandum ipsum disputationis argumentum et propositum. Quod quale sit, indicare sanequam difficile est. Disputatur quidem de lege eiusque natura. Quae profecto digna fuit philosopho quaestionis materies. Sed tractatur ea tam inepte tamque pingui Minerva, ut si denique quaeras, quid de legis natura vel affirmetur vel negetur vel significetur, protenus te consilii inopem haerere sentias. Quantumvis enim quaestiones quaestionibus, exempla exemplis, argumentationes argumentationibus cumulentur, tamen levitate prorsus tumultuaria ab uno ad alterum transilitur; nihil apte connectitur; nihil caute prudenterque exigitur et concluditur; denique nullum reperitur filum argumentationis, quod recte ac subtiliter deduci sentias. Verum ut ipsi legentes cognoscant, quid rei sit, confusam universae disputationis materiem ordine paullo dilucidiore, sed ita tamen, ut vitia appareant, disponere licebit.

Sciscitatur igitur Socrates ab initio dialogi, quid lex sit. Respondet alter post aliquas ambages, contineri eam *τοῖς νόμιζομένοις*. Quod reprehendit Socrates ideo, quia lex ab iis, quae lege constituta sint, omnino diversa sit. Quo intellecto in eam deveniunt opinionem, ut legem civitatis decretum et constitutionem esse censeant, sive sententiam publice sancitam, quod exponitur usque ad p. 314. C. At nec hoc Socrati placet. Qui ut hanc definitionem evertat, sic fere disputat. Sapientes per sapientiam fiunt sapientes, atque iusti per iustitiam iusti. Ergo *οἱ νόμιμοι* existunt *τῷ νόμῳ* et *οἱ ἀνομοι* legum neglectione tales evadunt. Sunt autem legum amantes iusti. Iustitia vero et lex omnino praeclarum quiddam sunt, quo uno maxime salus quum publica tum privata continetur. Iam vero civitatum decreta et constitutiones non omnes laudari sine discrimine possunt. Ex quo consequitur, ut nec civitatis decretis et constitutionibus legis vim naturamque contineri iudicandum sit. Lex enim semper bona ac salutaris est; sed rerumpublicarum decreta non raro sunt noxia et perniciosa (P. 314. C — E.).

Quae quam temere ac perverse concludantur, nemo erit quin vel non monitus videat; certe quidem doceri oportebat id, in quo cardo rei vertitur, legem in se

spectatam semper esse bonam atque utilem. Nihilominus credulus iste facilisque sermonis socius, qui protenus legem semper salutarem esse largitur, fines definitionis propositae coarctandos esse ipse quoque statuit. Itaque Socrates legem vult recta civitatis opinione contineri. Nam decreta nihil esse aliud nisi opiniones. Ex quo continuo concluditur, legem esse *eius inventionem, quod sit*, sive quod verum sit (*τοῦ ὄντος εὕρεσιν*), siquidem recta opinio veri inventionem absolvatur (P. 315. A.).

Haec omnia unde ducta sint, etsi nondum a quocumque animadversum est, tamen nobis quidem non dubium videtur. Repetita enim sunt pleraque ex his, quae in Politico p. 291. C. — 297. C. de perfecta sapientiae ratione optimo atque unico legum fonte ac principio disputata leguntur. Sed factum id est sic, ut notiones rerum diversissimarum temere misceantur atque confundantur. Nam primum quidem in locum perfectae rationis successit recta opinio, *δόξα ἀληθής*, quae tamen ipsi Platoni longe aliud quid esse visa est, quam auctori Minois. Deinde quum recta ratio ipsa in Politico pro summa lege habeatur, in Minoe nostro legis natura per inepte ad *τοῦ ὄντος εὕρεσιν*, sive ad eius, quod est, inventionem revocatur. Ita igitur diversissima temere permisceri unicuique facile apparebit.

Verum audiamus iam porro sapientis nostri sententiam. Hic igitur ipse magnam esse legum diversitatem ac vicissitudinem esse admonet. De qua re protenus is, qui secundariae personae partes sustinet, copiosam declamationem recitare instituit, Socrati scilicet perquam modeste demonstraturus, aliam apud alios esse legum rationem, atque apud hos ea pro piis, sanctis, iustis haberi, quae apud illos impia et iniusta existimentur. Molestè fert Socrates istam sermonis longitudinem eamque reprehendit acerbius; rem enim communiter esse disquirendam. Censet autem verum, iustum et honestum semper sibi constare neque ullam subire mutationem ac vicissitudinem. Nihilominus negari non posse, in hominum vita ita accidere solere, ut legum maxima sit de rebus iustis et honestis dissensio ac discrepantia. Sed ea res, inquit, facilem habet explicationem ex eo, quod homines a vero aberrant neque recte assequuntur quid legibus sit consentaneum. Verumtamen qui artem, quam

profidentur, recte tenent, il nec de eius praeceptionibus, quae ibi pro legibus valent, dissentire possunt. Namque medici aegrotorum curationis, rustici agriculturae, hortulani hortorum culturae, coqui ciborum appa-
rationis, leges semper easdem et ponent et pro veris agnoscent. Similis igitur etiam eorum ratio est, qui civitatis gubernandae artem tenent. Hi enim quidquid censent, id legis vim auctoritatemque obtineat necesse est. Artis autem periti quum nihil sibi persuadeant, nisi quod verum sit, legem esse inventionem veri rectissime antea iudicavimus.

Haec igitur sapiens noster inde a p. 315. A. usque ad p. 317. D. Quae qui rimati fuerint diligentius, ii rursus incredibilem quandam inscitiam hic animadvertent. Quippe omnia haec exinde suam habent originem, quod pusilla scriptoris mens non cepit philosophi illius amplitudinem et praestantiam, quem Plato ipse quum in aliis libris tum maxime in Politico informavit. Confudit enim eum eo verarum civitatum legumlatores, quos Plato ab illo diligentissime seiunctos ac segregatos esse voluit. His ipsis vero aequiparavit homines vulgarium artium peritos, quos stolidissime tales esse arbitratus est, qui in artis suae legibus definiendis numquam a vero aberrant semperque inter se consentiant. Nimirum temerarius homo hoc ita posuit, ut etiam viros artis civilis peritos tales heroes esse probaret. Felicem vero hominum vitam, si res ita haberet! Nunc homuncionem nostrum delirasse iudicare debemus, qui neglecta veritate ista omnia sic arbitrato suo scripsit, quia Platonis sententiam, ad cuius rationem miserrimam scriptionem suam composuit, haudquaquam assequutus est.

Sed quum hic ingentis eum perversitatis convictam teneamus, tum etiam alia id genus adiunxisse iuvabit. Posteaquam enim p. 317. D. haec ita se habere convenit, Socrates continuo sic pergit argumentari. Agriculae, inquit, aptissime cuique solo *legunt* semina. Musici cantuunculis aptissimos *legunt* sonos. Eodem modo *gymnastae* optimos cibos humanis corporibus utilissimosque *legunt* et corporis tanquam gregem pascunt (*πέποιον*). Pastores pecudum gregibus *legunt* quae iis maxime conducunt. Horum igitur *leges* (nam *legunt* illi omnes ideoque *leges* ferunt) his in generibus recte optimaee censentur. Iam vero cuiusnam *leges* hominum animis opti-

mae erunt atque utilissimae? Nimirum *regis*. Atqui inter veteres musicos unus omnium maxime excellit Marsyas cum Olympo Phrygio, amasio suo. Similiter etiam inter vetustissimos legislatores Minos Cretensis fuit longe maximus et praestantissimus. Quem quod multi ferocem et immanem fuisse narrant, est ea fabula Attica et quidem a poetis tragicis conficta. Longe alia certe de eo memoriae prodiderunt Homerus et Hesiodus, auctores tragicis poetis multo locupletiores. Accipe igitur, hi quid de illo narrent, ne quid piaculi in te admittas. Neque enim quidquam magis est impium et a quo caveri diligentius oporteat, quam in deos aut verbis aut factis peccare, deinde in divinos homines. Sed permagna semper adhibenda est cautio, si quem vel laudare vel reprehendere volueris. Irascitur enim deus, si quis hominem ipsius similem reprehendit aut laudat ipsius dissimilem. Similis autem deo homo bonus est. Noli enim putare, lapides quidem et ligna et aves et serpentes esse sacros, homines non item; imo sanctissima harum rerum omnium homo bonus est et scelestissima maximeque detestabilis homo improbus. Narrant igitur Homerus et Hesiodus de Minos optima quaeque et prorsus admirabilia. Hunc dicunt nono quoque anno cum Iove esse confabulatum; est enim Iupiter sophista, quocum sermones conferre potuit. Hunc volunt aureum sceptrum tenentem iudicia exercuisse. Hunc Rhadamantho et Talo tradunt in exercenda iustitia usum esse administris; et quae sunt id genus alia. Sed quod a multis pro fero ac saevo habetur, id factum est poetarum Atticorum calumnia. Quamobrem tu si sapis, et quivis alius, qui bonae nominis sui existimationi prospecturus sit, diligenter cavebitis, ne hominum poetarum invidiam suscipiatis. Multum enim poetae valent ad nominis famam in utramque partem. In quo peccavit etiam Minos, qui olim huic civitati bellum intulerit, in qua iam mature viguit poesis tragica. Non enim a Thespide demum aut a Phrynicho tragoediae origines repetendae sunt, sed antiquum istud huius civitatis inventum est. Iam vero quum tragoedia animos hominum maxime moveat, alliciat, oblectet, Athenienses Minoem in ea inducetes vindictam sumunt pro tributis illis, quae sibi ab eorum maioribus pendii iussit. Aspergunt igitur eum ignominia, etsi revera bonus fuit legumlator, qui quae Cretensibus prodesse, legit optime. Iam vero his inde a p. 317. D.

usque ad p. 321. B. ita expositis Socrates denique haec addit. Certum est igitur atque exploratum, Minoem et Rhadamanthum olim fuisse omnium optimos leges. Age vero, si quis nos ita haec interrogaret: Corporis bonus legislator aut distributor quatenam corpori eligit, ut id efficiat melius, responderemus: Alimentum et labores, illo id augens, his idem roborans et exercens. Iam vero si quis quaereret: Quidnam autem illud est quod bonus legislator et distributor animo legit, ut hunc meliorem reddat? quid responderemus, ut nec nostri nec nostrae aetatis nos puderet? Nimirum turpe est utriusque nostrum animo, si ea, per quae et bonum et primum in ipso inest, ignorans reperitur, quum alias res ad corpus pertinentes habeat cognitae et exploratae. P. 321. B — D. Quibus dictis sermo finitur.

Iam vero postremam hanc dialogi partem considerantibus nobis illud quidem animadvertere non erit difficile, voluisse scriptorem Minoem tanquam perfecti regis exemplum proponere, qui rectis et iustis legibus rempublicam Cretensium temperaverit. At etsi id voluisse censendus est, tamen materiam tractavit tam sine nistre, ut quod ipsi fuit propositum, nullo modo assequutus sit ac per stoliditatem et inscitiam miserrime disturbaverit. Nam primum quidem vide mihi ineptissimam istam inde a p. 317. D. disputationis continuationem. Quae adeo nihil ad rem praesentem pertinet, ut repente ad alia omnia delati esse videamur. Infictus hic etiam lusus verborum est, ex nominum *νόμος*, *νόμιον*, *νομός* ambiguitate repetitus, quem interpretatione nostra leviter saltem exprimere conati sumus. Deinde quod Minos potissimum in boni regis exemplum proponitur, id quibus causis ita statuatur, nemo quisquam intelligat. Neque enim virtus eius et praestantia ea informatur, ut quatenus illa responderit iis, quae antea de vero bonoque legislatore disputata sunt, iam illustri aliqua imagine declarentur. Ita igitur tota hac sermonis parte ad argumentum disputationis nihil proficitur, atque aliena sunt quae de Minoe eiusque rebus exponuntur, praesertim quum insuper infictis fabellis atque dicteris sint exornata. Enimvero nactus hic erat scriptor noster egregiam ostentandae doctrinae et elegantiae suae opportunitatem, qua quidem adeo intemperanter abusus est, ut quidquid in buccam venit, continuo ebullire ac deblaterare non dubitaverit. Quamobrem

de Marsya et Olympo, de Minoe, de Rhadamantho, de Taloe, de tragoediae Atticae antiquitate, de invidia poetarum, de homine bono re sanctissima, aliis rebus, protenus fusius verba facere instituit, eoque declamandi studio ac fervore abreptus sese adeo transversum agi passus est, ut denique consilii sui prorsus immemor quadrata rotundis miscuerit. Quid quod quum antea unum Minoem Cretensium regem fuisse acriter contendisset, postea p. 321. B. C. etiam Rhadamanthum in praestantissimorum antiquitatis legislatorum societatem una cum Minoe suo admisit. Ita igitur ipse sese suo quasi gladio iugulavit. Sed colophonem operi suo sine controversia imposuit extrema disputationis parte inde a p. 321. B. Nam etsi in superioribus statuit legumlationem veri inventionem contineri bonumque regem et artis gubernatoriae vere peritum nunquam dubitaturum esse, quid legis ratio postulet, tamen nunc praeter omnem expectationem dubium esse dicitur, quidnam sit commodi et utilitatis, quod bonus legislator animis hominum afferre vel possit vel debeat, eiusque rei ignoratio turpissima appellatur. Nimirum hic quoque bonus homo eo lapsus est, quod Platonis artem imitatione voluit exprimere. Solet enim Socrates apud Platonem saepe numero eos, quibuscum colloquitur, inprimis sophistas eorumque assectatores, ita in varias perducere opiniones, ut denique urbanissime inscitiae et erroris coarguantur. Quod quidem apud eum fit elegantissime sic, ut etiamsi de re in disceptationem vocata nihil certi expromatur, tamen errorum causas atque fontes eleganter admoneamur. Hoc igitur artificium Platonis homo noster imitatione exprimere conatus est. Sed fecit id tam imperite, ut ea clausula neque cum superioribus conveniat neque ulla causa et ratione idonea nitatur. Quamobrem nec mirum cuiquam accidere potest, quod nonnulli, ut antea diximus, postremam hanc disputationis partem maucam esse atque imperfectam arbitrati sunt.

Atque haec quidem de operis argumento et proposito. Quod clarissime apparere arbitramur adeo dubium esse atque obscurum, ut scriptor ipse videatur nescisse, quid tandem illud esset, quod toto sermone explicari vellet.

Iam vero quum de summa re tam vagum esse et instabile reperiatur eius iudicium, ut varia et diversa temere permiscuerit nec certum aliquem finem proposi-

tum habnerit, tum etiam in singulis partibus argumentandi ac disserendi ratio, qua utitur, passim adeo perversa est et inepta, ut vel in sententiis maxime simplicibus recta ratio vehementer desideretur. Caret enim notionum perspicuitate adeo, ut hominem propemodum dixeris ratione insanire voluisse. Cuius vitii exempla quum admodum sint frequentia, et magnam partem iam a Boeckhio p. 12 sqq. notata, pauca quaedam significasse iuvabit, ut scilicet leonem ex ungue cognoscamus. Conferas igitur p. 314. A. p. 315. A sqq. p. 316. A. p. 317. A. p. 319. B. C. D. p. 320. C. E. p. 321. A. B. C. et satis habebis ineptiarum. Quarum fontem si auquirimus, positum illum reperiemus in miseranda quadam ingenii tenuitate atque mentis egestate, quae quominus omnia tanquam libero sermonis cursu enuntiarentur, utique impediit. Praeterea non pauca alia imitatione ducta et expressa sunt ex ipsius Platonis operibus, Gorgia, Symposio, Protagora, Politico, aliis, de quibus accurate exposuit Boeckhio p. 23 sqq. Sed quod antea vidimus in definienda legis natura et adumbrando bono legumlatore homini accidisse, ut in ea re perversissime Politico Platonis tanquam fonte sapientiae suae abusus sit, idem ei etiam in singulis evenit. Nam perspicua obvolvitur tenebris; elegantia inficete corrumpit; recta ad pravos errores detorsit; denique quidquid sincerum est atque castum, id foedissimis contaminavit maculis, ut germanis extiterint dissimillima. Ita igitur vix unam alteramve paginam reperias, in qua non fatendum sit summas deprehendi sententiarum caligines ex tenebrionis scilicet ortas tenebricoso ingenio.

Atque ex his iam facile suspicari licebit, qualis sit forma et species orationis, quae in hoc dialogo cernitur. Etiam si enim singula verba bene Graeca sunt, tamen iuncta ubi spectantur, plurimis maximisque vitiis ex cogitandi perversitate enatis laborare videbuntur. Fert enim ita ipsa rerum ingenique humani natura, ut nemo nisi qui recte, perspicue, subtiliter cogitare didicerit, recte scribendi facultate polleat, ut magnopere fallantur, qui si pulchros scilicet verborum ac sententiarum flosculos undique decerptos constipaverint, sibi continuo videntur scripsisse elegantissime. Nempe elegans nihil esse potest nisi quod idem rectum sit suoque loco atque rei ipsi convenienter dicatur. Quod nisi ita est, apage cum veneribus istis omnibus, quas belluli scilicet atque

delicatuli scriptores imprudenter venantur, quasque non raro comparare licet cum pulcro aliquo vestimento homini febricantis ingenii atque aegrae mentis superiniecto. Sed age afferamus ex nostro scriptore rei exempla, quae si forte insuper aliquos etiam admonere possint, quousque insaniae tenebrae mentis aciei offasae vel in summa singulorum verborum castitate et elegantia scribentes loquentesve perducere possint, hoc quoque nomine operosae diligentiae crimen non inviti subeamus. Et plurima quidem hic quoque iam Boeckhii diligentia p. 17 sqq. occupavit. Afferemus igitur tantummodo pauca, unde luculentissime scriptoris stoliditas cognoscatur, quibus interponemus potissimum quae virum acutissimum praeterierunt. Nam quae a Platonis quidem dicendi consuetudine recedunt nec tamen per se aliquam habent reprehensionem, ea consulto praetermittimus. Quale est illud, quod p. 314. E. scriptum legitur: *οὐκ ἀρα ἀρμόττοι ἂν τὸ πονηρὸν δογμα νόμος εἶναι*, qua loquutione Plato nusquam usus est, quamquam similiter auctor Epist. VIII. p. 336. D. dixit, *ἐν ἡ βασιλικῆς ἀρμόττοι γίνεσθαι*, et quod p. 320. E. legimus *ἢ εὐλογοῦντες ἢ κατηγοροῦντες*, quandoquidem *εὐλογεῖν* laudandi vi praeditum, etsi ab usu veterum Atticorum minime abhorret neque spretum est ab Aristophane Equitt. v. 569. 599. al., tamen apud Platonem nusquam reperitur; neque enim *εὐλογία* De Rep. III. p. 400. D. hac vi et significatione positum, quamquam Axioch. p. 365. A. *εὐλογία τῶν ἀρετῶν* utique sunt virtutum praedicationes. Sed redeamus in viam. Itaque pravae ineptaeque dictionis exempla haec notasse satis erit. Pag. p. 315. C. 315. D. p. 316. C. p. 316. E. p. 318. A. ad quos locos conferas nostras animadversiones. Sed nolumus operam perdere conquirendis etiam aliis istiusmodi perversitatis documentis, quae profecto non pauca reperiuntur, praesertim si etiam pravae ineptaeque constructionis adiciantur exempla, qualia in commentariis subinde notavimus. Apparebit enim vel ex iis, quae attulimus, quid de dicendi genere in isto opere conspicuo existimandum sit. Atque indidem etiam aestimari potest, qualis sit universae orationis tanquam habitus atque species. Est enim ea haudquaquam elegans, sed hiulca, scabra, elumbis, dissoluta, et paene lacera, ut misellum aliquem hominem audire videamur, qui quum vix potuerit balbutire, tamen nomen suum scribenda aliqua opella immor-

talitati consecrare voluerit. Veruntamen hoc quoniam facilius sensu percipi, quam oratione ad persuadendum apta explicari potest, verbo de ea re monuisse satis erit.

Certum est igitur et exploratum, totum opusculum nomini Platonis per fraudem esse subiectum. Atque hoc loco oritur quaestio sanequam difficilis, quorsum eius origines probabiliter referendae sint. De qua re magno-pere ab Aug. Boeckhio dissentimus. Is enim illud ipsius aetate Platonis a Simone Socratico consarcinatum esse sibi persuasit. Cuius sententiae suae argumenta vir egregius subtiliter et acute exposuit *Commentat. in Platon. Min.* p. 33 sqq. Redit autem disputatio eius omnis fere huc. Inter eos, qui pro spuris censeantur, Platonis dialogos quattuor reperiri ait adeo inter se similes, ut ex unius opificis officina produsse iudicandi sint, *Hipparchum* s. *περὶ φιλοκερδοῦς*, *Minoem* s. *περὶ νόμου*, *dialogos de Iusto*, *περὶ τοῦ δικαίου*, ac *de Virtute*, *περὶ ἀρετῆς*. Hos libros omnes docet primum id habere commune, quod Socrates cum persona incerta et pullo nomine distincta colloquens inducatur; deinde eo esse insignes, quod dramatico ornatu fere destituantur, quamquam libri de Iusto et de Virtute maiore quam alterum par tenuitate et siccitate laborare existimandi sint; porro etiam titulum omnes habere ab argumento, quandoquidem Minois antiqua inscriptio fuerit *περὶ νόμου*, Hipparchi autem index genuinus *περὶ φιλοκερδοῦς* fuisse videatur; praeterea eodem cunctos conspicuos esse philosophandi genere, oratione in difficilibus brevi, prolixa in vulgaribus, transitionibus ab alia ad aliam seriem argumentorum iusto liberioribus, nimia exemplorum copia nihil efficientium, quin etiam gyro quasi quodam sententiarum et exemplorum, quae in singulis semper recurrant; denique disserendi viam eandem omnes adeo habere propriam, ut totae *ρήσεις* ad unam plane normam reperiantur compositae. Hinc igitur vir acutissimus verisimile esse concludit, hos libros uni eidemque scriptori acceptos referri. Iam vero apud *Diogenem L.* II. 122. et 123. de Simone inter alia haec perscripta leguntur: *Σίμων Ἀθηναῖος, σκυτατόμος, οὗτος ἐχομένου Σωκράτους ἐπὶ τὸ ἐργαστήριον καὶ διαλεγομένου τινά, ὃν ἐμνημόνευε ὑποσημειώσεις ἐποιεῖτο, ὅθεν σκυτικούς αὐτοῦ τοὺς διαλόγους καλοῦσιν. εἰσὶ δὲ τρεῖς καὶ τριάκοντα ἐν ἐνὶ φερόμενοι βιβλίῳ.*

Inter hos referuntur etiam tituli sermonum hi: *περὶ δικαίου πρώτος, δεύτερος περὶ ἀρετῆς ὅτι οὐ δικαίων, περὶ νόμου, περὶ φιλοκερδοῦς*. Qui quum prorsus in quattuor illos, quos memoravimus, libros conveniant, protenus Boeckhio concludit, Simonem istum eorum esse auctorem. Atque hanc conclusionem non esse temerariam etiam ex eo ostendere conatur, quod in Minoe quidem certe sermo probus sit, mores antiqui, denique nihil non veteris Attici scriptoris aetate dignum. Quod quodammodo etiam eo confirmari arbitratur, quod Plutarchus *Moral.* p. 776. E. *Thes.* p. 7. A. ubi Minoem inde a p. 319. D. usque p. 321. A. compilavit, Diogenes, Maximus Tyrius, Clemens Al., qui *Strom.* I. p. 151. 33. e *Min.* p. 313. B sqq., et *ibid.* II. p. 158. 13. et *Min.* p. 314. C. et p. 315. B. hausit, Servius *ad Virgilium*, Proclus, Stobaeus passim, Alexander Aphrodisiensis in *Aristot. El. Sophist.* fol. 51. b. horum librorum frequentem faciant mentionem. Haec igitur Boeckhio.

Hanc vero sententiam, quantumvis speciosissima argumentatione firmatam, tamen nobis haudquaquam probari libere profiteamur, quoniam facile largimur opuscula ista ingenio inculti alicuius hominis, qui docti litteratoris partes agere voluerit, minime indigna esse.

Ac primum quidem illud non ultro concedimus, tantam esse quattuor istorum librorum similitudinem, ut eundem auctorem habere necessario existimandi sint. Sunt enim in exigua quadam similitudine etiam longe inter se dissimillimi. Nam primum quidem dialogi de Iusto ac de Virtute reliquis duobus sunt multo tenuiores, exiliores, macilentiores. Deinde in fisdem tam parum occultata et oblecta sunt vestigia imitationis genuinorum Platonis operum, ut clara et manifesta ubique extant. Nam in dialogo de Iusto inde a p. 372. E. usque ad p. 373. E. omnia impudentissime ex Euthyphrone sunt compilata, ut vix paucula verba ad rei praesentis rationes mutata reperiantur. Quocirca ipsum initium libri facile ambigas num ex Minoe sumtum sit. Est enim hoc: *Ἐγὼ εἰπὼν ἡμῖν εἰπὼν ὅ τί ἐστι τὸ δίκαιον; ἢ οὐκ ἄξιόν σοι δοκεῖ εἶναι λόγον περὶ αὐτοῦ ποιῆσθαι; Ἐμοίγε καὶ μάλα. Τί οὖν ἐστίν; Τί γὰρ ἄλλο γε ἢ τὰ νομιζόμενα δίκαια; Μὴ μοι οὕτως, ἀλλ', ὡςπερ ἂν εἴ σὺ μ' ἐροῖο τί ἐστὶν ὄφθαλμός; εἰποιμ' ἂν σοί*

ὅτι ᾧ ὁρῶμεν· ἐὰν δὲ δεῖξαι μὲ κελύγης δεῖξω σοι· καὶ ἐὰν μὲ ἐρη ὅτι ψυχὴ ὄνομα; ἐρῶ σοι ὅ γινώσκωμεν· ἐὰν δὲ ἐρη αὐτὸ τί ἐστὶ φωνή; ἀποκρινούμαι σοι ᾧ διαλεγόμεθα· καὶ σὺ οὕτω φράσον ὅτι δικαίων ἐστὶν ᾧ τί γινώμεθα, ὡς περὶ ἂ νῦν δὴ ἠρόμην. Quae cum initio Minois mirabiliter sane congruant. Pariter etiam in dialogo de Virtute paene dimidia pars disputationis gnauiter ex Menone et Protagora exscripta est, nulla facta genuinorum Platonis verborum mutatione. Quae omnia certe aliter in Hipparcho et Minoe comparata sunt. In his enim longiores Platonis loci nusquam exscripti aut aperta et manifesta imitatione expressi sunt: ac si qui breviores adhibentur, ii non integri referuntur, sed artificiose variantur, ut ne servae imitationis deprehendantur vestigia. Praeterea nec disserendi ratio in omnibus eadem est. Nam etsi hoc habent commune, quod argumentationes non iusta conclusione perficiuntur, tamen nugatoria levitas in Hipparcho maior, in Minoe maxima est; in ceteris duobus libris autem, utpote scriptis simplicius et maximam partem ex Platone descriptis, minus inest ineptiarum. Quod igitur iis omnibus proprium remanet, id denique redit eo, quod secundaria persona certo nomine caret quodque quorundam exemplorum et sententiarum usus in iis frequentius recurrit. At enimvero ex his rebus certe colligi non statim potest, eos omnes uni eidemque scriptori deberi. Nam quod certarum personarum desideratur designatio, id non inepte ex eo explicationem habere statuas, quod origines eorum non in aetatem Socraticam, sed in posteriora tempora inciderint, quibus hic mos dialogorum fortasse iam invaluerat. Similiter certe Epistolarum, quae adscribuntur Socraticis, aliae ad certos quosdam, aliae, veluti VI. VII. XV. XVI. XVIII. XIX., ad incertos homines scriptae finguntur. Ex quo haud sane quisquam de earum auctoribus coniecturam facere audebit. Exemplorum vero usus ille, quo Min. p. 313. B. et Iust. p. 372. C. ad vocem et organa sensoria; Min. p. 317. D. ad γεωργόν, ἀλλήτην, καθαριστήν, et Hipparch. p. 225. C. ad γεωργόν, p. 226. C. ad ἀλλήτην et καθαριστήν; porro de Iust. p. 375. B. ad ἰατρόν et γεωργόν; Min. p. 316. C sqq. autem ad ἰατρούς, γεωργικά et μαγειρούς; de Virtut. p. 376. B. ad μαγειρούς et ἰατρόν; praeterea Hipparch. p. 226. H. ad ἰππικόν; de Virt. p. 378. C sqq. ad ἰππικὴν, κρηνητικὴν et

παιδοποιίας; Min. p. 317. E. ad παιδοποιίας decurritur, nobis quidem eiusmodi esse videtur, ut nihil inde conficiatur. Nam primum quidem in usu horum exemplorum ea reperitur variatio, ut in alio libro aliter adhibeantur. Quod vix ita futurum esset, si idem sutor omnes consarcinasset. Quippe is sine dubio saepius iisdem verbis extulisset, quod nunc aliter atque aliter significatum videmus. Deinde vulgarium rerum in exemplis afferendis commemoratio, si quid indicare possumus, studiose ab istis scriptoribus ideo expetita est, ut germanis Socraticis viderentur quam simillimi; Socrati enim noverant eam rationem adeo fuisse frequentatam, ut ei verteretur opprobrio. Ac si quis id agere velit, poterit fontes horum exemplorum facili negotio in ipsius Platonis scriptis ad morem rationemque disciplinae Socraticae compositis demonstrare. Sed ingrediamur viam magis compendiarium atque certiore ostendamusque, etiam aliorum librorum suppositiciorum auctores eadem fere coacervasse rerum exempla. Quod si ita est, sponte, opinor, consequetur, ut hunc morem compluribus eiusmodi scriptoribus communem fuisse existimandum sit. Lustremus igitur paucis dialogos aliquot, quos spurios esse hodie inter omnes convenit. Percurramus ante omnia *Sisyphum* et *Eryxiam*. En ibi inter alia p. 389. C. habes exemplum a μουσικῇ et καθαριστικῇ sumtum; Ibid. p. 390. C. D. ἰατροί et ἀλλήται exempli causa commemorantur; Ibid. p. 388. D. reperiuntur γεωμέτραι; p. 389. C. D. etiam στρατηγίας et κυβερνητικῆς mentio iniicitur. In *Eryxia* vero p. 394. E. κυβερνητικῆς et ἰατρούς; p. 396. ἰππικός; p. 398. A. γραμματικός et μουσικός; p. 402. D. μουσικοί et qui litteras tradunt; p. 403. A. ἰππικοί; p. 403. E. οἰζοδομικοί; p. 404. D. auditus et ἰατρική, exempli causa frequentantur. Quae si contempleris paullo attentius, eadem fere videbis esse, quae in quattuor illis libris Simoni sutori tributis obvia sunt. Addamus tamen hac occasione etiam gravius quiddam. Nam nec variae ac multiplicis doctrinae importuna iactatio in his dialogis desideratur. Quemadmodum enim in *Minoe* p. 315. A sqq., ubi ostenditur apud alios populos atque gentes alia esse legibus et institutis sancita, Carthaginienses atque Arcadiae urbis Lyciae incolae narrantur homines adeoque suos ipsorum filios sacrificare, atque pristini Athenienses ritus sepulcrales alios habuisse quam qui postero tempore apud eos vigere coeperint;

sic in *Eryxia* p. 399. E sqq. ut opum ac divitiarum alibi aliam rationem esse doceatur, Carthagineusium, Lacedaemoniorum, Aethiopum et Scytharum hoc in genere instituta exponuntur. Adeo igitur haec cum loco Minois conveniunt, ut simillimam in utroque opere regnare declamandi rationem propemodum in oculos incurrat. Sed hoc in transcurso addidisse satis erit. Redeamus ad usum exemplorum, atque doceamus, etiam in libris vulgo Platonis nomine ornatis, sed manifesta fraude ei suppositis, talia deprehendi, qualia antea memoravimus. Sic in *Erastis* p. 134. E. *ιατρός και παιδοτροφής*; Ibid. *γεωργός*; et p. 135. C. *ἀρχιτέκτων*, exempli loco ponuntur; et in *Theage* p. 123. B. D. *κυβερνητική*; Ibid. E. *ιατρική* et *γυμναστική*; p. 124. A. *γεωργική* et *τεκτονική*; p. 125. C. rursus *γεωργοί* et *τὰ γεωργικά*, ac ne coquos desideres, ibid. p. 125. C. D. *μαγειροί* et *τὰ μαγειρικά*; p. 126. B. autem *ἵππικοί* et *τὰ ἵππικά* afferuntur, ut in his quoque opusculis quantumvis exigui ambitus eadem prorsus exemplorum ratio sit, quae in Hipparcho, Minoe et dialogis de Iusto ac de Virtute. Quid quod in *Theage* alius quoque locus notabilis est propter convenientiam cum verbis quibusdam Minois. Nam quae p. 122. B. scripta leguntur: *ἀλλὰ μὲν δὴ καὶ λέγεται γε συμβουλή ἱερὸν γόημα εἶναι. εἴπερ οὖν καὶ ἄλλη ἤτις οὖν ἐστὶν ἱερά, καὶ αὐτὴ ἂν εἴη, περὶ ἧς αὖ νῦν συμβουλεύει. οὐ γὰρ ἐστὶ περὶ ὅταν θειότερον ἂν ἀνθρώπος βουλευσάτο ἢ περὶ παιδείας καὶ αὐτοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ οἰκείων*; ea certe non absimilia videntur illis in Minoe p. 318. E. et p. 319. A. de quo loco mox dicemus explicatius. Apparet igitur, opinor, ex usu exemplorum quidem nihil eiusmodi colligi posse, unde quattuor illos libros eundem auctorem habere appareat. Ac similis ratio est sententiarum quarundam in iis repetitarum. Ita quod *Hipparch.* p. 227. B. pariter atque *Dialog. De Virt.* p. 376. E. legitur, neminem sua sponte mala deligere, pervulgata sanequam ea sententia est, quam neutiquam mirum est non rarius repetitam esse et inculcatam, quam quod Plato statuebat, neminem esse sponte malum; quod quam crebro decantatum sit, in commentariis ad Protagoram p. 345. E. ed. 2. ostendimus. Nec scrupulum iniiciunt illa *Hipparch.* p. 228. C. *οὐκ οἰόμενος* (Hipparchus) *δεῖν οὐδενὶ σοφίας φθονεῖν, ἅτε ὦν καλὸς τε καὶ ἀγαθός*; et *Dial. De Virt.* p. 377. A. *οὐδεὶς ἄρα φθονεῖ τῶν ἀγαθῶν ἀνθρώπων*

ἄλλο, ὡςτε ἀγαθὸν καὶ ὁμοίον ἑαυτῷ ποιῆσαι. Nam scriptor dialogi de virtute totum locum adumbravit ad similitudinem Protagor. p. 326. E sq. ubi inter alia haec sunt: *λυσιτελεῖ γὰρ, οἶμαι, ἡμῖν ἢ ἀλλήλων δικαιοσύνη καὶ ἀρετὴ· διὰ ταῦτα πᾶν παντὶ προθύμως λέγει καὶ διδάσκει καὶ τὰ δίκαια καὶ τὰ νόμιμα*; et Menon. p. 93. B. C. Atque eadem *Hipparchi* auctor fortasse ob oculos habuit. Accedit quod haec quoque sententia admodum vulgaris est atque trita. Affert Boeckhiius tertiam sententiam ex *Dial. De Virt.* p. 376. E. *οἱ μὲν γὰρ ἀγαθοὶ ἅρα ὠφελοῦσιν, οἱ δὲ κακοὶ βλάπτουσιν.* et *Dial. De Iust.* p. 374. B. *τί δέ; βλάπτειν δίκαιον, ἢ ὠφελεῖν; ὠφελεῖν; βλάπτειν ἄρα ἀδικον; Ναί.* Eumvero fontem utriusque loci communem monstrabant haec Platonis *Menon.* p. 88. A. — 89. A. p. 96. E. p. 98. C. *καὶ μὴν ὁ γε ἀγαθὸς ἀνὴρ ὠφέλιμος ἡμῖν ὁμολόγηται εἶναι.* Omnino enim horum duorum operum auctores pleraque ex Protagora, Gorgia et Menone corraserunt. Quum igitur quattuor isti, quos saepe diximus, dialogi ex parte inter se dissimillimi sint, ac si quid habent similitudinis, id facile possit exinde explicari, quod vel eadem aetate nati vel ex communibus fontibus ducti sunt, quid inde consequatur, facile intelligitur. Non enim continuo uni auctori vindicandi sunt, sed potius existimari debent propter diversitatem suam diversos auctores habuisse, quanquam fortasse ex unius scholae officina prodierunt.

At vero, inquit aliquis, mirabile tamen est, quod eorum inscriptiones planissime cum titulis quattuor dialogorum conveniunt a Diogene Simoni adscriptorum. Nonne igitur hinc verisimiliter conicere licet eos revera ad hunc auctorem referri oportere? De qua re quo certius indicari possit, operae pretium erit ipsa *Diogenis* verba diligentius examinare. Is igitur libro II. §. 122. primum haec scribit: *οὗτος, ἐχομένου Σωκράτους ἐπὶ τὸ ἐργαστήριον καὶ διαλεγόμενον τινα, ὦν ἐπισημαίνοντες ἐπισημειώσεις ἐποιεῖτο, ὅθεν σκεπτικὸς αὐτοῦ τοὺς διαλόγους κελούσιν.* Narratur ergo bonus sutor eorum, quae se a Socrate inter mutuos sermones accepisse meminisset, breves commentariolos fecisse. Ex quo haec duo perspicua esse arbitramur, primum quidem, dialogorum Simoneorum argumenta ex ipsis Socratis confabulationibus fuisse repetita; alterum, brevem admodum fuisse eorum notationem, ut scriptio eius hoc quidem

nomine Xenophontea non prorsus absimilis fuisse videatur. Deinde *Diogenes* subiungit haec: εἰσὶ δὲ τρεῖς καὶ τριάκοντα ἐν ἐνὶ φερόμενοι βιβλίῳ· περὶ θεῶν, περὶ τοῦ ἀγαθοῦ, περὶ τοῦ καλοῦ, τί τὸ καλόν, περὶ τοῦ δικαίου πρῶτος καὶ δεύτερος, περὶ ἀρετῆς ὅτι οὐ διδακτόν, περὶ ἀνδρείας πρῶτος δεύτερος τρίτος (sic enim leg. pro πρῶτον δεύτερον τρίτον), περὶ νόμον, περὶ δημαγωγίας, περὶ τιμῆς, περὶ ποιήσεως, περὶ εὐπαθείας, περὶ ἔρωτος, περὶ φιλοσοφίας, περὶ ἐπιστήμης, περὶ μουσικῆς, περὶ ποιήσεως, τί τὸ καλόν, περὶ διδασκαλίας, περὶ τοῦ διαλέγεσθαι, περὶ κρίσεως, περὶ τοῦ ὄντος, περὶ ἀριθμοῦ, περὶ ἐπιμελείας, περὶ τοῦ ἐργάζεσθαι, περὶ φιλοκερδοῦς, περὶ ἀλαζονείας, περὶ τοῦ καλοῦ· οἱ δὲ (ἄλλοι;) περὶ τοῦ βουλευέσθαι, περὶ λόγου ἢ περὶ ἐπιτηδεύτητος, περὶ κακουργίας. Quo quidem indice rursus confirmari putamus, quod modo iudicavimus, brevem fuisse videri sermonum Socraticorum commentationem a Simone susceptam. Nam dialogi eius omnes uno libro comprehensi fuisse dicuntur. Iam vero si quis miretur, quid tandem causae fuerit, cur sermones a cerdone litteris consignati, etiamsi cum contemptu quodam *στυγιοί* appellati sunt, tamen hominum animos adeo adverterint, nescio an id *Diogenes* non obscure significaverit his verbis: οὗτος, φασί, πρῶτος διελέχθη τοὺς λόγους τοὺς Σωκρατικούς, ἐπαγγελιαμένον δὲ Περικλέους φθέρειν αὐτόν, καὶ κελυοντος ἀπιέναι πρὸς αὐτόν, οὐκ ἐν ἔρη τὴν παρήρησιαν ἀποδοῦσθαι. Primus igitur, si *Laërtio* fides est, sermones Socraticos imitando expressit, eoque factum videtur, ut eius dialogi ad aliquam famae celebritatem pervenirent, praesertim quum ope commentariorum ad sermonum revera cum Socrate habitorum similitudinem quam diligentissime comparati essent. Praeterea ex his etiam discimus, quo tempore clarissimus sutor florere coeperit, quod non esse negligendum mox apparebit. Atque haec quidem ubi accurate tenuerimus, facilius certiusque poterimus diiudicare, num quattuor illi libri, de quibus quaerimus, verisimiliter Simoni attribuantur, modo simul meminerimus eorum, quae antea de Minois reliquorumque dialogorum virtutibus exposuimus.

Ac primum quidem huic sententiae illud videtur mirum quantum officere, quod in iis plane desideratur Socratica illa perspicuitas, simplicitas et nativa elegantia, quam sutoris dialogos utique retulisse consentaneum est,

si ad exemplum sermonum Socraticorum fuerunt compositi. At harum virtutum omnium nusquam in iis vestigium aliquod expressum cernitur. Nam sunt quidem pleni ac referti exemplis, at raro iis aliquid efficitur; utuntur quidem artificio inductionis, sed sine felici operis successu; habent quidem sententiarum quandam varietatem, sed sententiae istae fere inanes rerum sunt atque obscuritatem potius menti offundunt quam veri intelligentiam afferunt; praeterea argumentationes sunt contortae, abruptae, et vero etiam stolidae et insulsae; ironia autem illa, qua Socratem novimus suas disputationes tanquam condire consuevisse, adeo desideratur, ut vel loci illi Platonici, in quibus ea cernitur, horum dialogorum auctorem vehementissime deluserint et ad absurdissima quaeque imprudentem perduxerint. Quid igitur? haecine nobis persuadebimus in sermonibus reperitum iri a Socratici ingenii fontibus ductis et tanquam derivatis? Nimirum quemadmodum etiam in pravorum pictorum imaginibus facile reperias aliqua saltem lineamenta oris eorum, quos ad ipsam veritatem fideliter depingere non potuerint, ita etiam in his dialogis aliquid Socraticae perspicuitatis atque venustatis reperitum iri verisimile est, si a Simone ad veri sermonis Socratici similitudinem compositi essent. Ac ne suturem istum existimemus hominem fuisse plane rudem doctrinae atque inscitum, qui Socraticas disputationes enarrare omnino non potuerit, praeter famam antiquitatis, cui certe aliquid tribuendum est, etiam argumenta dialogorum, quos scripsisse fertur, non obscure indicant, quippe quae rudioris hominis captum magnam certe partem longissime saepe superant.

Verum ad haec accedit aliud quid, unde Simonem non esse horum fetuum parentem satis certo intelligatur. Etenim libri illi omnes, ut antea ostendimus, aut ex Platonis operibus conscripti aut ad eorum rationem prava imitatione compositi sunt. Quid igitur? num illum putabimus dialogos Platonis, Gorgiam, Menonem, Protagoram, Symposium, Euthyphronem, Politicum, Leges, sedulo lectitavisse aut pervolutasse, ut sententiolis atque flosculis inde decerptis opus suum tanquam suffarcinaret? num eum nobis persuadebimus ex Menone, Protagora, aliis libris, integros locos in dialogum de Iusto et de Virtute transscripsisse, quo magis aequalibus operam suam probaret? num porro cuiquam credibile erit, fe-

cisse eum, quod fecerit plane necesse est, si pro horum librorum auctore habeatur, ut in Minoe suam de legis vi ac natura sententiam ad normam rationemque eorum explicaverit, quae apud Platonem de eadem re in Politico exposita legantur? Nimirum istud quidem, si quid videmus, bono sutori ne in mentem quidem venire potuit, qui teste Laertio hoc potius egit, ut purus putus Socraticus haberetur. Is vero si videri voluit, tanto magis manus a Platonicis operibus debuit cohibere, quo maius fuit periculum, ne dum speciem sapientiae captaret, insipientiae reus ageretur, sicuti nunc eo fit, qui verus horum dialogorum auctor fuit. Quin etiam hoc ei verendum fuit, ne ipsi plumae, quibus se tanquam pavonem superbe exornasset, iam ab aequalibus multo cum risu evellerentur.

Verum ex hac ipsa Platoniorum operum compilatione etiam aliud argumentum repetere licet, quo Simonem demonstratur haudquaquam potuisse hos libros, de quibus loquimur, litteris consignare. Nam si verum est, quod narrat Diogenes Laertius, eum iam Periclis aetate ad aliquam famam auctoritatemque pervenisse, profecto nec per temporum rationes ullo modo fieri potuit, ut ex iis libris aliquid ad usum suum transferret, qui a Platone iam aetate proveciore scripti sunt. Pertinent autem huc primum libri qui sunt de Legibus. Nam quod Boeckhiius p. 31. negat imitationis ex hoc opere ductae in quattuor illis dialogis extare vestigia, de eo nobis quidem secus videtur. Duo enim sunt loci Minois manifesto ad locorum quorundam Legum imitationem compositi. Unus est p. 319. B. qui adumbratus videtur ad Legg. I. p. 624. A. Nam sicuti hic in praedicatione laudum Minois ad Homeri auctoritatem provocatur, ita in Minoe ipsi Homeri afferuntur versiculi ex *Odyss.* XIX, 174 sqq. et XI, 568 sqq. quod sanequam dignum est imitatore, qui nihil transmittere voluit, quo orationem suam exornari posse putaret. Et quemadmodum ipse Plato Homeri verba sic intellexit, ut *Odyss.* X, 568 sq. *ἐνέωρος* iungeret cum *δαριστής* ideoque ea interpretaretur, *τοῦ Μίνω φοιτῶντος πρὸς τὴν τοῦ πατρὸς ξηνονσίαν δι' ἐνάτου ἔτους*, hoc est *Minoe nono quoque anno ad patris congressum ventitante*, sic qui Minoem consarcinavit haec posuit: *λέγει γὰρ (Ὁμηρος) τὸν Μίνω συγγίνεσθαι ἐνάτῳ ἔτει τῷ Διὶ ἐν λόγοις καὶ φοιτῶν παιδευθησόμενον ὡς ὑπὸ*

σοφιστοῦ ὄντος τοῦ Διός. Substituit igitur temere istud suum ἐνάτῳ ἔτει in locum eius, quod Plato rectius multo magisque perspicue dixit *δι' ἐνάτου ἔτους*, ne prorsus eodem modo loquutus videretur. Verum evidentior altero loco imitatio est, qui extat p. 318. E sq. ubi impium, imo nefas esse monetur bonis hominibus maledicere, utpote ipsi deo similibus, atque deinde sic pergitur: *νεμεσᾷ γὰρ ὁ θεὸς ὅταν τις ψέγῃ τὸν ἐαυτοῦ ὁμοίον ἢ ἐπαινῇ τὸν ἐαυτοῦ ἐναντίως ἔχοντα. ἔστι δὲ οὗτος ὁ ἀγαθός. μὴ γὰρ τοὶ οἶον λίθους μὲν εἶναι ἰέρους καὶ ξύλα καὶ ὄρνεια καὶ ὄφεις, ἀνθρώπους δὲ μὴ, ἀλλὰ πάντων τούτων ἰερώτατον ἔστιν ἀνθρώπος ὁ ἀγαθός, καὶ μισρώτατον ὁ πονηρός.* Quae plane ad illa Legum libr. VI. p. 765. E sq. attemperata sunt, ubi docetur hominem recta demum educatione et ingenii bonitate divinissimum atque mansuetissimum omnium animalium fieri ideoque plurimum sibi curae et institutionis deponere. Itaque inter alia etiam haec dicuntur: *ἐνθρώπος δὲ, ὡς φαμεν, ἡμερον, ὁμῶς μὴν παιδείας μὲν ὀρθῆς τυχόν καὶ φύσεως εὐτυχὸς θειώτατον ἡμειρώτατον τε ζῶων γίνεσθαι φιλεῖ, μὴ ἱκανῶς δὲ ἢ μὴ καλῶς τραφὲν ἀγριώτατον (τῶν) ὅποσα φύσι γῆων ἔνεκα οὐ δευτέρον οὐδὲ πάρεργον δεῖ τὴν παιδῶν τροφήν τὸν νομοθέτην εἶναι γίνεσθαι.* Quae noster levi verborum facta mutatione inanis rhetoricae calamitris exornavit atque pro suo consilio eo detorsit, ut viris bonis maximam deberi reverentiam docere conatus sit. Eundem legum locum ob oculos habuit etiam auctor Theagis p. 122. B. ita tamen, ut Platonem pressius sit sequutus: ex quo apparet unde originem habeat ista utriusque libelli convenientia, de qua iam supra aliquid monuimus. Expresserunt etiam Iamblich. *Adhortat. ad philosoph.* c. 9. p. 144. ed. Kiessling. Synesius *De calvitio* c. 5. p. 9. ed. Krabinger, alique, de quibus videndus est Gatakerus *Advers. Miscell.* p. 616. F. G. Atque haec quum ita se habeant, sponte consequitur Minoem non potuisse ante Leges Platonis litteris consignari, quae ipso Boeckhio iudice (l. c. p. 73.) post Olymp. CVI. 1. demum compositae sunt. Eo vero tempore Simo, qui teste Laertio cum Pericle rem habuit, nonagenarius saltem fuerit necesse est, qua quidem aetate quis est qui cum credat miseros istos dialogos misere conscribuisse? Sed ne de unis Legibus dicamus, quantum testimonium praevidemus fore qui infirmare con-

tur, ne Symposii quidem aut Politici opibus Simonem uti potuisse contendimus, praesertim si verum est quod narrat Diogenes, primum eum extitisse qui Socraticos sermones imitatione referret. Nam Symposium quidem non potuisse ante Olymp. XCVIII. 3. vel 4. in lucem emitti pro explorato habemus. Nec vero Politicus multo ante scriptus aut divulgatus est, quemadmodum alibi disputavimus. Iam vero inde a Periclis morte Olymp. LXXXVII. a. 3. vel 4. usque ad Olymp. XCVIII. 3. interiecti fuere anni minimum quadraginta tres vel quattuor. Quodsi autem Pericles Simoni civi suo tantum tribuit, ut ei ultro victum offerret, non illum verisimile est tunc adhuc fuisse viginti annorum adolescentulum. Ex quo quid consequatur, iam adeo clarum esse putamus, ut res uberiore explicatione haudquaquam indigeat.

Atque haec quidem satis ostendent, opinor, quo iure Simonem negemus quattuor istos dialogos conscripsisse. Hic vero nobis aliquis opponat, esse tamen per mirum ac prope singulare, quod quattuor illorum opusculorum tituli in scriptorum Simoneorum indice apud Diogenem reperiantur. Nam ex hac una re facile posse veritatem contrariae sententiae probari atque demonstrari admodum probabiliter. Ad quae habemus sane quae non incommode responderi queant. Etenim primum quidem ponere atque sumere licebit, ipsum illum catalogum Simoneorum dialogorum potuisse horum argumentorum tractationi ansam praebere. Quod si ita accidit, bonus sutor Atheniensis saltem aliquid laudis participabit, quam istae descriptiones commereantur. Nam ita posterioris aetatis scriptorem aliquem licebit statui splendidis eius operum titulis invitatum et excitatum esse, ut simile quiddam commentaretur. Quamquam qui id fieri poterit, intellectu utique est difficile. Nam primum quidem is, qui haec opera confinxit, iis non Simonis, sed Aeschini ac Platonis nomina praefigi voluit. Deinde quidnam invitamenti habere potuit, sutoris alicuius laudes litterarias aemulari? Nimirum in litteris certe nemo adeo est demissus et abiectus, quin altius quiddam sibi spectandum statuatur. Nisi forte pecunia, rerum omnium domina, effecerit, ut iuvenis aliquis *litterariam factitans* sutoris personam in se suscepit. Quid enim est, ad quod non adigat homines regina illa potentissima, quae, ut ait Horatius, uxorem cum dote, fidemque, et amicos, et genus, et formam donare solet. Verum enim vero ne

opus quidem est ut ita statusmus, quandoquidem argumenta horum librorum omnium sunt admodum trita, vulgaria, et a Socraticis saepenumero tractata. Ita *περί νόμου* praeter Pythagoreos quosdam scripserunt Crito Socraticus (v. Diog. Laert. II. 121 sqq.), Antisthenes Cynicus (v. ibid. VI. 16.), Speusippus Academicus (ib. IV. 5.), Xenocrates, eius successor, quem Diogenes IV. 12. refert *περί δυνάμειος νόμου* scripsisse. De virtute porro sive *περί ἀρετῆς εἰ διδασκόντων* Platonem ipsum novimus non uno libro commentatum esse, in eoque campo quantopere alii Socraticorum sese iactaverint, non est profecto cur post I. F. Fischerum ad Aeschin. *Socrat. qui feruntur Dialogg.* p. 21 sq. et Fuellebornium *Symbol. ad Histor. Philos. Part. X.* p. 143 sqq. diligentius exponamus. Nec vero defuerunt qui scriberent *περί τοῦ δικαίου*. Nam ut mittamus Critonem Platonis, qui idem argumentum illustrat, disputavit praeter alios Xenocrates teste Laertio IV. 13. *περί δικαιοσύνης*; item Antisthenes eodem teste VI. 16. Iam vero *περί τοῦ φιλοκερδοῦς* equis est qui sibi persuadeat a philosophis illius aetatis non esse expositum? Enimvero scripsit praeter Simonem etiam Crito teste Laertio libr. II. 5. 121. *περί τοῦ πλεῖον ἔχειν*, hoc est de argumento fere eodem. Scripserunt item alii *περί ἐγκρατείας*, *περί τοῦ ὀφελιμοῦ*, ac de aliis locis similibus, in quibus lucri cupiditas aut debuit aut potuit certe respici. Quamobrem nec mirum accidit, quod in Epistolis Socraticorum non uno loco de lucri cupidine disceptatur. Nimirum harum epistolarum auctores et ipsi voluerunt videri meri Socratici eamque ob causam hanc quoque rem vocarunt in disceptationem. Ex quibus omnibus liquere arbitramur raro quidem casu factum esse, ut quattuor istorum librorum tituli in Simonis dialogorum recensione reperiantur, nec tamen casu plane inexplicabili. Nam quum ista argumenta a Socraticis omnia frequentius essent tractata atque explicata, fieri profecto potuit facillime, ut eadem iis temporibus, quibus mala doctorum et indoctorum hominum fraus claris scriptoribus solebat fetus adulterinos affingere, studiosius arriperentur atque iterum iterumque illustrarentur.

Atque id quam aetate ita evenerit, coniectura non ita difficilis est. Putamus enim natos esse hos libros tempore Ptolemaeorum, quo fraudem hominum mendacium licentius grassatam esse in fingendis sub alieno no-

mine scriptis certissimis constat testimoniis. Qua de re classicus est locus Galeni in *Hippocr. de Nat. Hom.* libr. I. Tom. V. p. 16. ed. Basil. *Πρὶν γὰρ τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τε καὶ Περγᾶν γενέσθαι βιβλίους, ἐπι κτήσει παλαιῶν βιβλίων φιλοτιμηθέντας, οὐδέπω ψευδῶς ἐπετέγραπτο σύγγραμμα: λαμβάνειν δ' ἀρξάμενων μισθὸν τῶν κομιζόντων αὐτοῖς συγγραμμάτα παλαιῶν τινος ἀνδρὸς οὕτως ἤδη πολλὰ ψευδῶς ἐπιγράφοιτες ἐκόμιζον.* Eam autem fraudem maxime in Platonis et Aristotelis libris commissam esse, dudum observarunt Io. Woverus, I. Ger. Vossius, Aegid. Menagius, imprimisque Rich. Bentleius, in *Epistol. ad Waltonum* p. 4. et in *Respons. ad Boyleum* p. 6. ed. Lennep. atque Io. Luzacius *Lectt. Attic.* p. 149. Ac de Minoe quidem id tanto verisimilius suspicari licet, quod Diogenes Laertius eum dialogum narrat iam ab Aristophane Byzantio in trilogias suas fuisse relatum. Is enim in *Vita Platonis* §. 61. sic scribit: *ἔμοι δὲ, ὧν ἐστὶ καὶ Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικός, εἰς τετραλογίας ἔλθουσι τοὺς διαλόγους: καὶ πρώτην μὲν τιθέασιν, ἧς ἡρεῖται Πολιτεία, Τιμῆς, Κοιτίας, δευτέραν, Σοφιστικῆς, Πολιτικῆς, Κρατύλος, τρίτην, Νόμοι, Μίνως, Ἐπινομίς, κ. τ. λ.* quo loco cur Boeckhius in *Minoem* p. 32. praeter codicum auctoritatem scribendum putaverit *Μίνως, Νόμοι, Ἐπινομίς*, nos quidem non exputamus; nisi forte ita statuit, ne doctissimi grammatici Minoem post *Leges* scriptum putasse viderentur, quod sane eius de huius libri originibus sententiae aliquantum adversatur. Nimirum ex his verbis liquido apparet, iam illa aetate talem libellum pro Platónico venditatum esse. Atque idem fere de ceteris libris, quos diximus, statuendum censemus. Qui si posteriore demum aetate conficti essent, certe aliquid haberent, quod eius disciplinam redoleret, sicuti aliis id genus libellis factum esse compertum habemus. Verum enim vero est profecto horum librorum omnium ea ratio atque virtus, quae Alexandrinam aetatem maxime deceat. Quod enim vel ex variis pannis male consuti sunt vel imitatione genuinorum operum prave celata consarcinati, id plane convenit cum illo variae atque multiplicis doctrinae studio, quod eo tempore mirum quantum invaluisse accepimus. Nam eo studio effectum est hoc, ut scripta veterum legerentur potius quam intelligerentur; atque adeo ii, qui opera commentitia aliis suppo-

nere cogitabant, vel doctos et eruditos homines facile possent circumvenire, etiamsi adulterini libri, quos confuxissent, perquam negligenter compositi essent. Enimvero etiam hoc vitium ex illa multiplicis doctrinae cupiditate ortum, quod non modo extitit insolens quaedam scribendi et commentandi quasi libido et intemperantia, sed etiam plurima non tam recto subtilique mentis iudicio digererentur, quam temere consarcinarentur. Quod proh dolor in philosophia potissimum ita accidit, ad quam accesserunt saepe homines male feriat, qui quum minime ad eius studium et tractationem a natura facti essent, invita Minerva, quod dicitur, ad scribendum appulerunt animum, et quamvis omnia temere corradentes certa incertis, mala bonis, perspicua tenebricosis, recta falsis miscerent ac saepenumero etiam misere balbutirent, tamen Platoni et Aristoteli multa affingerent, de quibus summi philosophi ne per somnium quidem cogitavissent. De qua re exposuerunt Heynius *Opuscul. Academ.* Vol. I. p. 127 sq. et Luzacius *Lectt. Attic.* Sect. II. §. IX. §. 9 sqq. Talibus igitur studiis talibusque temporibus omnino digna sunt ista opera, de quibus loquimur, in quibus et variae doctrinae inanis iactatio, et frigidum declamationis studium, et misera operum genuinorum compilatio, et vero etiam fusa insanientis philosophiae oratio deprehenditur, quanquam ceteroquin probus est sermo nec veteris scriptoris Attici ingenio et facultate indignus, siquidem verba tantummodo, non item sententiae et enunciata spectantur. Quodsi igitur hi dialogi nonnulla communia habent, veluti quod incerta persona cum Socrate in iis colloquens inducitur aut quod sententioas quasdam saepius iterant atque inculcant, causa eius rei videtur exinde potius repetenda, quod eodem tempore et fortasse in eadem scholae alicuius officina nati, quam quod ab uno eodemque scriptore compositi sunt, praesertim quum, ut antea diximus, in quadam similitudine etiam dissimillimi inter se esse reperiantur.

At enim vero, inquit aliquis, nonne mirum accidit, quod tanti nominis criticus, qualem Aristophanem Byzantium fuisse perhibent, adeo in fraudem inductus est, ut tam miseram scriptionem, qualis est Minois, in trilogiis suis recenseret? Ad quae nobis cum aliis respondere licebit, veteres criticos utique fugisse plurima, quae hodie non facile eruditiores fallant. Etenim in tam

multiplici occupatione, qualem illis praebebat diversissimorum operum non dicam lectio, sed una collectio, mirum profecto non est, quod subinde titulos librorum magis respexerunt, quam eorundem argumenta subtiliter explorarunt. Qua in re quousque peccatum sit, vel ea docebunt, quae de his rebus breviter quidem, at vere graviterque monuit Fr. Aug. Wolfius *Prolegg. ad Homer.* p. XLVIII sq. Ac de Minoe quidem Platoni adscripto quomodo doctissimus Grammaticus in fraudem et errorem induci potnerit, non temere videtur coniectura assequuti esse. Quod enim in omni causa evenire solet, ut praeiudicatis opinionibus facillime ad novos errores abripiamur, id hic quoque factum esse verisimile existimamus. Statuerat Aristophanes libros Platonis in trilogias distribuendas esse. Fecit igitur primam trilogiam Politiam, Timaeum, Critiam, idque si quid video rectissime, quandoquidem hi libri ipsius Platonis iudicio arctissimo vinculo inter ipsos continentur. Secundam voluit constare Sophista, Politico, et Cratylo, non satis recte quidem, nec tamen prorsus inepte, siquidem Sophista cum Politico sine ulla controversia cohaeret aptissime, Cratylus autem aliquam certe cum his libris habet argumenti cognationem. Iam vero tertiae trilogiae circumspexit elementa. Quod dum facit, ecce offeruntur ipsi sponte *Leges* et *Epinomis*. Sed tertium quiddam deest ad trilogiae integritatem. Ibi vero ei in manus venit *Minos* sive *περὶ νόμων*. Exoptatum sane inventum. Quid enim cum *Legum* et *Epinomidis* argumento nomine quidem certe magis congruat? Itaque arripit librum fortasse vix leviter inspectum et cum duobus reliquis operibus praeiudicatae indulgens opinioni protenus iungit atque consociat. Ita igitur et ipse in gravem errorem incidit, et auctoritate sua effecit, ut alii per multa saecula in eiusdem fraudis societatem pertraherentur. Sed errorem Grammatici nobis quidem fatendum est admodum prosperum atque utilem evenisse. Quod enim ille Minoem in primas trilogias retulit: nam ceteras rerum ipsarum difficultatibus impeditus non potuit perficere, quartam tantummodo, sed parum probabiliter statuit *Theaetetum*, *Critonem* et *Phaedonem*; quod igitur Minoem in trilogiis suis numeravit, ex eo certe hoc discimus, opusculum iam tum fuisse divulgatum, possumusque etiam de aliorum similium natalibus non improbabili facere coniecturam. Ita igitur tempus, quo

editi hi fetus in lucem sunt, verisimiliter videtur definituisse.

Verum superest adhuc alia quaestio. Possit enim aliquis contendere et affirmare, hos quattuor dialogos, ex quibus vulgo *Minos* et *Hipparchus* a *Diogene*, *Thrasyllo* et ipso *Aristophane* in *Platoniciis* numerantur, dialogi de *Virtute* et de *Iusto* autem vel ad *Aeschinem* vel alium quempiam referuntur auctorem, plane esse eosdem, quos *Diogenes* inter *Simonea* memoraverit, sive ii genuini sint sive misero sutori suppositi. Et certe *Boeckh* quoque ea de re loquutus est ambigue, qui p. 45. scripserit haec: „*Ea magnopere mihi reddunt verisimile, non alios esse quatuor nostros dialogos atque illos, qui apud Diogenem Simoni Socratico tribuuntur.*“ et pag. 48. ita iudicaverit: „*Attamen quum Panaetius, homo non ignobilis, apud Diogen. II. 64. genuinos nullos praeter Xenophontis, Antisthenis et Aeschinis dialogos Socraticorum agnoscat, eatenus tantum haec opuscula Simoni tribuo, quatenus ea, quae Laertius dicit ad eum poterant referri.*“ Quamquam idem p. 46. sic disputat, ut quae fuerit eius sententia, minime dubium videatur. At primum quidem huic sententiae multum officit codicum veterum auctoritas, in quibus nullus horum librorum *Simoni* tribuitur. Quin etiam tituli *Minois* et *Hipparchi*, quantumvis inepte conficti, utpote a parte tantum operis eaque leviori sumti, genuini videntur, siquidem ad *Platonis* morem et consuetudinem sunt inventi, qui minores quidem dialogos suos clarorum hominum nominibus insignivit, non ab argumenti ratione inscripsit, ut altera inscriptio *περὶ νόμου* et *περὶ φιλοκερδοῦς*, sicuti factum est in ipsius *Platonis* scriptis, temere a grammaticis vel etiam ab ipsis auctoribus adiecta sit. Deinde ipse *Diogenes Laertius* cum veterum librorum testimoniis consentit egregie, quum tamen de *Simonis* libro ita loquatur, ac si eum ipse adhuc viderit atque inspexerit. Praeterea quum *Simonis* dialogos, *Diogenis* testimonio, uno volumine comprehensos circumferri consuevisse compertum habeamus — nam *εἰς δὲ*, inquit, *τρῆς καὶ τριάκοντα ἐν ἐνὶ φερόμενοι βιβλία* — equis sibi persuadeat, ex toto hoc opere eoque, sicuti suspicari licet, non admodum amplo singulos tantummodo sermones esse conservatos? Nimirum hoc perinde est, ac si ex *Xenophontis* *Memorabilibus* vel *Oeconomico* singulae tantummodo

quaedam particulae, ex diversis locis decerptae, ad nostram usque memoriam conservatae fuerint. Accedit quod ex veteribus scriptoribus, quantumvis ab iis frequenter dialogorum manifesta fraude suppositorum mentio iniiciatur, tamen nemo memoravit aliquid Simoneum, quod certe secus foret, si dialogi isti quattuor iam antiquitus Simoni tributi essent. Denique hoc unum si quaeratur, num quattuor isti libelli, quum omnes sint suppositicii neque veteri Attico alicui scriptori debeantur, tamen a nonnullis etiam Simoni sint attributi, vereor equidem ne, si non *περὶ ὄνων πόρων*, at saltem de lana caprina rixari videamur. Nam si Simoni a nonnullis iniuria adscripti sint nec vero ab eo re vera profecti, nulla profecto caussa est, cur subtilius de ea re examen instituat. Itaque hoc pro explorato habendum putamus, non posse eos ad sutorem illum sapientem tanquam auctorem ullo modo referri, eoque iudicio utique acquiescimus. Quamobrem nomen Simonis in posterum rursus ab indicibus eorum scriptorum exulabit, quibus sive recte sive iniuria adscribuntur libri etiam nunc superstites.

C o d i c e s .

Contulit *Im. Bekkerus* Paris. A. (n. 1803.)
 Ven. *Æ. Paris.* *K. Angel.* *v. Laurent.* *z. Laur.*
b. c. Vatic. *f. Nos* adhibuimus Florentinos *a. b.*
c. o. x. et Leidensem, de quo *v. Heusdii Specim.*
Crit. p. 142. Omnium optimus est Paris. A.

M I N Ω Σ.

ΤΑ ΤΟΥ ΔΙΑΛΟΓΟΥ ΠΡΟΣΩΠΑ
ΣΩΚΡΑΤΗΣ, ΕΤΑΙΡΟΣ.

Cap. I. Ὁ νόμος ἡμῖν τί ἐστίν;
ΕΤ. Ὅποιον καὶ ἐρωτᾷς τὸν νόμον;

313

P. 313. καὶ ἐρωτᾷς τὸν νόμον] τῶν νόμων Par. A. et
Leid. quod dedit Bekker. et Turic. sed v. ann.

P. 313. Ὁ νόμος ἡμῖν τί
ἐστίν] Initium disputationis
idem Hipparchi: *Τί γὰρ τὸ φι-
λοκερδές; τί ποτὲ ἐστίν; καὶ τί-
νες οἱ φιλοκερδεῖς;* Dialogi de
Iusto: *Ἐχεις ἡμῖν εἰπεῖν ὅ τί
ἐστὶ τὸ δίκαιον;* Dialogi de Vir-
tute: *Ἄρα διδακτόν ἐστιν ἡ ἀρε-
τή;* Par nimirum inscitia pa-
rem horum scriptorum auctorem
prodere visa est Augusto
Boeckhio, qui de neglecta in
his libris exordii venustate ex-
posuit in egregio doctrinae iu-
venilis specimine Comment. in
Minoem Plat. et Libros
prioros de Legibus p. 36 sq.
Sed simillimum etiam Demodoci
exordium est. Nimirum id qui-
dem certum, insulos fuisse ho-
rum librorum omnium auctores.
Inter dialogos Platonis nullus
est qui tale initium habeat. Alia
enim Menonis est ratio, in quo
statim in sermonis principio non
Socrates, sed Meno, hoc est
confidentia maxima adolescens,
protenus quaerit, num virtus
doceri possit necne.

Ὅποιον καὶ ἐρωτᾷς —]

Nimis hic affectata ista Inter-
rogandi forma: quae etsi in
scriptis Platonis satis crebra est,
ut per se reprehendenda non
sit, tamen quamnam postulet
cautionem, ne subrustica evadat,
facile perspicies ex iis, quae de
eius usu ad Euthydem. p. 271.
A. exposuimus. Itaque hic qui-
dem desideramus Platoniam ur-
banitatem et elegantiam. Cete-
rum τῶν νόμων, quod est in
codd. quibusdam, nemo vulgatae
temere praeferet, qui memine-
rit, qua lege et condicione arti-
culus post interrogativa prono-
mina inferatur. Hunc locum in-
terpreteris sic: Qualis tan-
dem ista lex est, de qua
interrogas? Quid hac in re
vel a doctissimis viris erratum
sit, facile perspicies ex iis,
quae scripsit A. Matthiae Gr.
Gr. §. 265. 4. annot. Neque de-
erunt hodie qui Boeckhium
mirentur olim Praef. ad Simon.
Dial. p. VIII. sollicito aliud exem-
plum loquutionis ὁποιον τὸν νό-
μον circumspexisse.

ΣΩ. Τι δέ; ἔστιν ὃ τι διαφέρει νόμος νόμον κατ' αὐτὸ τοῦτο, κατὰ τὸ νόμος εἶναι; σκόπει γὰρ δὴ ὃ τυγχάνω ἐρωτῶν σε. ἐρωτῶ γάρ, ὡς περ εἰ ἀνηρόμην τί ἐστι χρυσός, εἰ με ὡσαύτως ἀνήρου ὁποῖον καὶ λέγω χρυσόν, οἴομαι σε οὐκ ἂν ὀρθῶς ἐρεῖσθαι. οὐδὲν γάρ που διαφέρει οὔτε χρυσὸς χρυσοῦ οὔτε λίθος λίθου κατὰ γε τὸ λίθος εἶναι καὶ κατὰ τὸ χρυσός, οὕτω δὲ οὐδὲ νόμος που νόμον οὐδὲν διαφέρει, ἀλλὰ πάντες εἰσι ταυτόν. νόμος γὰρ ἕκαστος αὐτῶν ἐστὶν ὁμοίως, οὐχ ὃ μὲν μᾶλλον, ὃ δ' ἥττον. τοῦτο δὴ αὐτὸ ἐρωτῶ, τὸ πᾶν τί ἐστι νόμος. εἰ οὖν σοι πρόχειρον, εἰπέ.

ΕΤ. Τί οὖν ἄλλο νόμος εἶη ἂν, ὃ Σώκρατες, ἀλλ' ἢ τὰ νομιζόμενα;

ΕΤ. Ἡ καὶ λόγος σοι δοκεῖ εἶναι τὰ λεγόμενα;

[ἔστιν ὃ τι διαφ.] V. τί δέ ἔστιν ὃ τι δ. quod emendavit Steph. Queritur enim non de re, quia lex a lege differat, sed an omnino alia ab alia differre existimanda sit.

κατ' αὐτὸ τοῦτο, κατὰ τὸ π. ε.] V. κατὰ ταῦτό τ. invit. codd. praeter unum solum Angel. omnibus.

οἴομαι σε οὐκ ἂν ὀρθῶς ἐρεῖσθαι] V. οἶμαι, quod cum Bekkero ex Par. A. et Leid. in οἴομαι convertimus. Praeterea vett. editt. ἴρεσθαι, quod ex Par. K. emendatum.

B. πρόχειρον, εἰπέ] Sic Bas. 2. Leid. Flor. o. x. Par. K. pro vulg. εἰπεῖν. Imperativum firmant etiam codd. v. b. f. qui habent εἰπε. Ceterum fallitur Boeckhius Praef. ad Sim. p. X. sq. imperativum putans apud Platonem ibi tantum imperandi vim habere, ubi id ex quadam anacoluthia fieri queat, praesertim post futurum aut optativum, qui futuri locum teneat, et post ἔαν δὲ cum coniunctivo.

κατ' αὐτὸ τοῦτο, κατὰ τὸ νόμος εἶναι] Contulit Boeckhius p. 30. cum his locum Philēbi p. 12. E. καὶ γὰρ χρῶμα, ὃ δαιμόνιε, χρῶματι κατὰ γε αὐτὸ τοῦτο οὐδὲν διαφέρει, τὸ χρῶμα εἶναι τὸ πᾶν. In quibus etsi obscuriora sunt imitationis vestigia, tamen obscuriora certe extant. Sed nimirum quantopere in his concinnandis scriptor sese torserit, id quae sequuntur ostendunt luculentissime. Nonne enim

miserè balbutientis sunt ista: ἐρωτῶ γάρ, ὡς περ εἰ ἀνηρόμην — ἐρεῖσθαι? Plato ipse, nisi fallor, omissis istis ἐρωτῶ γάρ, scripturus erat: ὡς περ γὰρ ἂν εἰ ἀνηρόμην κ. τ. λ. Quamquam vel sic impeditior existit oratio neque commode locum habet importunum istud ὁποῖον καὶ λέγω.

B. νόμος γὰρ ἕκαστος αὐτῶν ἔστιν ὁμοίως] Iunge: ἕκαστος γὰρ αὐτῶν ἔστιν ὁμοίως νόμος, nam unquamque

ἢ ὄψις τὰ ὀρώμενα; ἢ ἀκοή τὰ ἀκουόμενα; ἢ ἄλλο μὲν λόγος, ἄλλο δὲ τὰ λεγόμενα· καὶ ἄλλο μὲν ὄψις, ἄλλο δὲ τὰ ὀρώμενα; καὶ ἄλλο μὲν ἀκοή, ἄλλο δὲ τὰ ἀκουόμενα; καὶ ἄλλο δὲ νόμος, ἄλλο δὲ τὰ νομιζόμενα; οὕτως ἢ πῶς σοι δοκεῖ;

ΕΤ. Ἄλλο μοι νῦν ἐφάνη.

Cap. II. ΣΩ. Οὐκ ἄρα νόμος ἐστὶ τὰ νομιζόμενα.

ΕΤ. Οὐ μοι δοκεῖ.

ΣΩ. Τί δὴτ' ἂν εἴη νόμος; ἐπισκεψώμεθα αὐτὸ ὧδε. εἰ τις ἡμᾶς τὰ νῦν δὴ λεγόμενα ἀνήρετο, Ἐπειδὴ ὄψει φατὲ τὰ ὀρώμενα ὀραῖσθαι, τίμη ὄντι τῇ ὄψει ὀραῖται; ἀπεκρινάμεθ' ἂν αὐτῷ, ὅτι αἰσθηθεὶς ταύτη τῇ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν δηλούσῃ ἡμῖν τὰ χρώματα. εἰ δ' αὖ ἤρετο, Τί δέ; ἐπειδὴ ἀκοῇ τὰ ἀκουόμενα

C. καὶ ἄλλο μὲν ὄψις — τὰ ὀρώμενα] Absunt haec a Par. A. Pro vulg. ἄλλα δὲ τὰ λ. et ἄλλα μὲν ἀκοή, ἄλλα δὲ τὰ ἀκ. ex cod. Leid. ubique ἄλλο reposuimus, quod iam Steph. commendavit. Et postremo loco ἄλλο δὲ τὰ ἀκουόμενα firmat etiam Par. A.

Ἄλλο μοι νῦν ἐφάνη] Sic Par. A. et Leid. pro vulg. Ἄλλ' ὁμοίον νῦν ἐφ. quod recte emendavit Steph. Singularis scriptura est Par. K. ἀλλ' οὐχ ὁμοίον.

P. 314. εἰ δ' αὖ ἤρετο] V. εἰ δ' αὖθις ἤρετο, quod ex Par. A. Leid. Flor. o. x. affis mutavimus.

Τί δέ; ἐπειδὴ ἀκοῇ —] V. reliquis praetermissis scribitur: δὲ αὖθις ἀνήρετο, τίμη ὄντι τῇ ἀκοῇ τὰ ἀκουόμενα ἀκούεται, ἀπεκρινάμεθ' κ. τ. λ. Explevimus locum praecunte Bekkero ex Par. A. et Leid., ad quorum scripturam prope accedunt etiam reliqui, si discesseris a Ven. Z. et Laur., qui item mutilum habent locum.

earum similiter lex est, neque alia magis, alia minus. Molestum in hac verborum collocatione accidit αὐτῶν. Quod si tenens, males nobiscum aut ordinem eum, quem modo significavimus, aut qualem videmus De Rep. VII. p. 523. C. δάκτυλος μὲν αὐτῶν φαίνεται ὁμοίως ἕκαστος, καὶ ταύτη γε οὐδὲν διαφέρει. At enimvero perplexa ista oratio hominis purum subtilis et eruditi ingenio

digna est, qui dissimilia perversissime inter ipsa confudit.

Ἡ καὶ λόγος σοι δοκεῖ —] Mireris hic acumen hominis, qui dissimilima composuit tanquam similia, scilicet callida imitatione Socraticae inductionis artificium expressurus. Verum subtilitas dialectica in eo adeo desideratur, ut subinde paene ultro umbram eius sectari videatur.

C. Τί δὴτ' ἂν εἴη νόμος; ἐπισκεψώμεθα αὐτὸ —]

ἀκούεται, τινι ὄντι τῆ ἀκοῆ, ἀπεκρινάμεθ' ἂν αὐτῶ, ὅτι αἰσθήσει ταύτη τῆ διὰ τῶν ὠτῶν δηλοῦση ἡμῖν τὰς φωνάς. οὕτω τοίνυν καὶ εἰ ἀνέροιτο ἡμᾶς, Ἐπειδὴ νόμῳ τὰ νομιζόμενα νομίζεται, τινι ὄντι τῶ νόμῳ νομίζεται; πότερον αἰσθήσει τινι ἢ δηλώσει, ὥσπερ τὰ μανθανόμενα μανθάνεται δηλοῦση τῆ ἐπιστήμη, ἢ εὔρεισι τινι, ὥσπερ τὰ εὔρισκόμενα εὔρισκεται, οἷον τὰ μὲν ὑγιεινὰ καὶ νοσώδη ἰατρικῆ, ἃ δὲ οἱ θεοὶ διανοοῦνται, ὡς φασιν οἱ μάντις, μαντικῆ; ἢ γὰρ που τέχνη ἡμῖν εὔρεισις ἐστὶ τῶν πραγμάτων. ἢ γὰρ;
 ET. Πάνυ γε.

Ἐτι αἰσθήσει ταύτη τῆ διὰ τῶν ὠτῶν —] V. ταύτη aberat, praeter auctoritatem codicum. Male in Ald. totus hic locus: Ἐτι αἰσθήσει usque ad ὠτῶν omissus est, relicto spatio. Bas. 2. sic expletum praebet: τῆ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ εἰ, τινι τὰ ἀκουόμενα, τῆ διὰ τῶν ὠτῶν. Melius rem gessit Steph. qui hic codd. videtur consuluisse.

τινι ὄντι τῶ νόμῳ νομ.] τῶ, additum ex Par. AK. Leid. Flor. a. b. o. x. Ang. Laur. z. b. Vat., vulgo deerat.

B. καὶ νοσώδη] V. καὶ τὰ νοσώδη. Articulus om. Par. A. Leid. Sic in contrariis notionibus articulus non iteratur Charmid. p. 171. A. B. Lach. p. 195. C. al.

Sic Dialog. de Virt. p. 376. A. ἄρα διδάκτων ἢ ἀρετῆ, ἢ οὐ διδάκτων, ἀλλὰ φησὶ οἱ ἀγαθοὶ γίγνεται ἄνδρες ἢ ἄλλω τινι τρόπῳ; — ἀλλὰ ὧδε σκεψόμεθα αὐτῶ. De Iust. p. 372. A. sq. ubi totus qui sequitur locus huic est simillimus.

P. 314. πότερον αἰσθήσει τινι ἢ δηλώσει —] Ad πότερον αἰσθήσει τινι ἢ δηλώσει facile apparet ex antecedentibus repetendum esse τῶ νόμῳ τὰ νομιζόμενα νομίζεται. Idem dictum esto de proximis ἢ εὔρεισι τινι. Sed perquam absurde iam quaeritur, num lex sit αἰσθησις aliqua an δῆλωσις. Neque enim ex antecedentibus consequitur, ut horum aliquid esse necessario existimanda sit. Nam et visus et auditus contineri indicatur αἰσθήσει τινι τὰ χρώματα ἢ τὰς φωνὰς δηλοῦση, nec vero αἰσθή-

σει τινι ἢ δηλώσει αὐτῶν. Miscet igitur homuncio atque conturbat rursus diversas notionem miserrime. Sed maior etiam perturbatio ex eo oritur, quod additur ἢ εὔρεισι τινι, quod iam tanquam tertium quiddam sine ulla causa adicitur. In hoc ipso vero quantum rursus ineptiarum cernitur! Perquam certe ridiculum est atque insulsum, quod vates dicuntur εὔρισκεσθαι, invenire, sibi videri, quid dii sentiant, siquidem μαντικῆ sit ars, ars vero εὔρεισις τῶν πραγμάτων videatur. Talis qui accurate rimantur, ii certe facile sibi persuadebunt, auctorem libelli non esse hominem aliquem in philosophorum doctrinam cum laude versatum, sed potius ineptum harioium iustae disciplinae rudem planeque expertem, qui scribendi negotium in-

Cap. III. ΣΩ. Τί οὖν ἂν τούτων ὑπολάβοιμεν μάλιστα τὸν νόμον εἶναι;

ET. Τὰ δόγματα ταῦτα καὶ ψηφίσματα, ἔμοιγε δοκεῖ. τί γὰρ ἂν ἄλλο τις φραῖη νόμον εἶναι; ὥστε κινδυνεύει, ὃ σὺ ἐρωτᾷς, τὸ ὅλον τοῦτο, νόμος, δόγμα πόλεως εἶναι.

ΣΩ. Δόξαν, ὡς ἔοικε, λέγεις πολιτικὴν τὸν νόμον.

ET. Ἐγώ γε.

ΣΩ. Καὶ ἴσως καλῶς λέγεις· τάχα δὲ ὧδε ἄμεινον εἰσόμεθα. λέγεις τινὰς σοφοὺς;

οἱ μάντις, μαντικῆ; ἢ γὰρ ποῦ τέχνη] Vett. edit. pro ἢ γὰρ που τέχνη, quod debetur Par. A. et Leid., scriptum habent μαντικῆ γὰρ που τέχνη. Istud μαντικῆ omissum est in Ald. et codd. Ven. Z. Flor. o. x. Par. K. Angel. Laur. z. b. c. Vat. Videlicet in his quoque scriptum μαντικῆ γὰρ που τ.

B. Τί οὖν ἂν τούτων ὑπολάβοι] Vulgo haec sic distincta legebantur: Socr. Τί οὖν ἂν τούτων — ψηφίσματα; Am. Ἐμοιγε δοκεῖ x. τ. λ. Recte libri Par. A. K. Ven. Z. Leid.

C. ὧδε ἄμεινον εἰσόμεθα] Sic Par. AK. Leid. Flor. a. c. o. x. Angel. Laur. z. b. c. Vat. Vulgo ὧδε post εἰσόμεθα positum legitur, quod nec Bekkerus mutavit.

vita Minerva aggressus sit. Cuiusmodi homines non nostra demum aetas vidit, quae sane iis abundat, sed ipsa etiam Socratis et Platonis tempora extulerunt, quemadmodum ex Aristophane et Xenophonte intelligere licet.

B. Τὰ δόγματα ταῦτα καὶ ψηφίσματα] Responderi debebat: τούτων μὲν οὐδέν, τὰ δόγματα δὲ ταῦτα καὶ ψηφίσματα. Nam ταῦτα non pertinent ad praecedentia, sed significant nota illa, celebrata illa, quem usum pronomini alibi illustravimus. Certe haec aliam explicationem vix, opinor, habitura sunt. Iam vero ex hac interlocutoris responsione dissecandi artifex protenus concludit, illi legem esse videri δόξαν πολιτικῆν, scilicet ut infra p. 314. E. ostendat hanc definitionem

legis esse falsam. Quid igitur? mirarisne hominis ingenium, qui ipse δόγμα atque δόξαν protenus idem esse ultro statuit, quum tamen paullo ante inter ἀκοῆν et ἀκουόμενα, νόμον et νομιζόμενα, x. τ. λ. multum discriminis intercedere recte indicaverit? Nugas istas perstrinxit etiam Boeckhiius p. 12.

C. τάχα δὲ ὧδε ἄμεινον εἰσόμεθα] Recte Schleiermacherus „Exscripta haec sunt ex Euthyphrone p. 9. E., ubi leguntur haec: τάχ' ὧ γὰρ βέλτιον εἰσόμεθα; sed temere, siquidem hic desideratur quod ibi verbis vim pondusque suum attribuit.“ Praeterea recte indicavit Boeckhiius p. 38. en. quae dehinc sequuntur, simillima esse illis Dialogi de Iust. p. 375. C. indè ab ὧ δὲ γε ταῦτα usque ad finem.

- ET. Ἐγὼ γε.
 ΣΩ. Οὐκοῦν οἱ σοφοὶ εἰσι σοφία σοφοί;
 ET. Ναι.
 ΣΩ. Τί δέ; οἱ δίκαιοι δικαιοσύνη δίκαιοι;
 ET. Πάνν γε.
 ΣΩ. Οὐκοῦν καὶ οἱ νόμιμοι νόμῳ νόμιμοι;
 ET. Ναι.
 ΣΩ. Οἱ δὲ ἄνομοι ἀνομία ἄνομοι;
 ET. Ναι.
 ΣΩ. Οἱ δὲ νόμιμοι δίκαιοι;
 ET. Ναι.
 ΣΩ. Οἱ δὲ ἄνομοι ἄδικοι;
 ET. Ἄδικοι.
 ΣΩ. Οὐκοῦν κάλλιστον ἢ δικαιοσύνη τε καὶ ὁ νόμος;
 ET. Οὕτως.
 ΣΩ. Αἰσχιστον δὲ ἢ ἀδικία τε καὶ ἡ ἀνομία;
 ET. Ναι.
 ΣΩ. Καὶ τὸ μὲν σώζει τὰς πόλεις καὶ τῶλλα πάντα, τὸ δὲ ἀπόλλυσι καὶ ἀνατρέπει;
 ET. Ναι.
 ΣΩ. Ὡς περὶ καλοῦ ἄρα τινὸς ὄντος δεῖ τοῦ νόμου διανοεῖσθαι, καὶ ὡς ἀγαθὸν αὐτὸ ζητεῖν.

D. Οἱ δὲ ἄνομοι — ἀνομοί] V. bis ἀνόμοι, quod correctum ex Par. A K. Leid. Ang. Flor. x. et Laur. b. Idem vitium inde in proximis quoque sublatum.

ἢ ἀδικία τε καὶ ἡ ἀνομία] ἢ secundo loco accessit ex

Οὐκοῦν καὶ οἱ νόμιμοι νόμῳ νομί] Dellrat homo ineptissimus, rursus temere miscens quae sunt inter se longe dissimillima. Platonem quidem certe usquam ita statuisse prorsus negamus. Praeterea in proximis pro ἀνομοί scribebatur olim ἀνόμοι, quod A. Stephanus non debebat in Thesaurum suum T. II. p. 1030. E. referre. Nam etsi dignum fuerit

hominis balbutientis omniaque misere perturbantis stoliditate, tamen quoniam barbarum est, ex codd. refugendum fuit. Vere enim Boeckhiius p. 53. „Substantiva in ὄς desinentia, quae praefixo ἄ privante faciunt negantia adiectiva, et mutato finali ὄς in ἴμος affirmantia, non faciunt privativa composita ex affirmante adiectivo in ἴμος et littera ἄ. Ita λό-

- ET. Πῶς δ' οὐ;
 ΣΩ. Οὐκοῦν δόγμα ἔφαμεν εἶναι πόλεως τὸν νόμον;
 ET. Ἐφαμεν γάρ.
 ΣΩ. Τί οὖν; οὐκ ἔστι τὰ μὲν χρηστὰ δόγματα, τὰ δὲ πονηρὰ;
 ET. Ἔστι μὲν οὖν.
 ΣΩ. Καὶ μὴν νόμος γε οὐκ ἦν πονηρός.
 ET. Οὐ γάρ.
 ΣΩ. Οὐκ ἄρα ὀρθῶς ἔχει ἀποκρίνεσθαι οὕτως ἀπλῶς, ὅτι νόμος ἐστὶ δόγμα πόλεως.
 ET. Οὐκ ἔμοιγε δοκεῖ.
 ΣΩ. Οὐκ ἄρα ἀρμόττοι ἂν τὸ πονηρὸν δόγμα νόμος εἶναι.
 ET. Οὐ δῆτα.
 Cap. IV. ΣΩ. Ἀλλὰ μὴν δόξα γέ τις καὶ αὐτῷ μοι καταφαινεται ὁ νόμος εἶναι. ἐπειδὴ δὲ οὐχ ἡ πονηρὰ δόξα, ἄρα οὐκ ἤδη τοῦτο κατάδηλον ὡς ἡ χρηστή, εἴπερ δόξα νόμος ἐστί;
 ET. Ναι.
 ΣΩ. Λόξα δὲ χρηστὴ τίς ἐστιν; οὐχ ἡ ἀληθής;
 ET. Ναι.

Par. A. Leid. Ang. Laur. b. Flor. a. c. o. x. Sic enim antea: ἢ δικαιοσύνη τε καὶ ὁ νόμος, quibus haec respondent.

E. καὶ αὐτῷ μοι καταφαινεται] V. αὐτό μοι, quod iam Stephanus vidit in αὐτῷ μοι mutari oportere. Et sic scriptum habent Par. A K. Ven. E. Laur. Flor. a. o. x.

γος, ἔλογος, λόγιμος; μόρος, ἄμορος, μῆριμος; τρόμος, ἀτρόμος, τροφίμος; γόνος, ἄγονος, γόνιμος; sed ἀλόγιμος, ἀμόριμος, κ. τ. λ. nusquam dicuntur.

D. Καὶ τὸ μὲν σώζει τὰς πόλεις —] Euthyphr. p. 14. B. καὶ σώζει τὰ τοιαῦτα τοὺς τε ἰδίους οἴκους καὶ τὰ κοινὰ τῶν πόλεων; τὰ δ' ἐναντία τῶν κακηρισμένων ἀσεβῆ, ἃ δὲ καὶ ἀνατρέπει ἕπαντα καὶ ἀπόλλυται.

Plat. Opp. Vol. IX. Sect. I.

Quae cum his contendit Boeckhiius p. 26.

E. Οὐκ ἄρα ἀρμόττοι ἂν — εἶναι] Ἀρμόττειν sic cum infinitivo iunctum apud Platonem frustra quaesieris. Eodem tamen modo auctor Epist. VIII. p. 356. D. ἐν ἡ βασιλείας ἀρμόττει γίνεσθαι.

καὶ αὐτῷ μοι καταφ.] Hoc ex codd. restituendum fuit

315 ΣΩ. Οὐκοῦν ἢ ἀληθῆς δόξα τοῦ ὄντος ἐστὶν ἐξεύρεσις;

ET. Ἔστι γὰρ.

ΣΩ. Ὁ νόμος ἄρα βούλεται τοῦ ὄντος εἶναι ἐξεύρεσις.

ET. Πῶς οὖν; ὦ Σώκρατες, εἰ ὁ νόμος τοῦ ὄντος ἐστὶν ἐξεύρεσις, οὐκ αἰετὶ τοῖς αὐτοῖς νόμοις χρώμεθα περὶ τῶν αὐτῶν, εἰ τὰ ὄντα γε ἡμῖν ἐξεύρηται;

ΣΩ. Βούλεται μὲν αὐδὲν ἦττον ὁ νόμος εἶναι τοῦ ὄντος ἐξεύρεσις· εἰ δ' ἄρα μὴ τοῖς αὐτοῖς αἰετὶ νόμοις χρώνται ἄνθρωποι, ὡς δοκοῦμεν, οὐκ αἰετὶ δύ-

P. 315. Ὁ νόμος ἄρα βούλεται — εἶναι] Sic Par. A. K. Leid. Angel. Laur. z. 6c. Vat. Flor. n. c. o. x. Vulgo legatur: Ὁ νόμος οὖν τοῦ ὄντος ἐστὶν ἐξεύρεσις.

τοῦ ὄντος ἐξεύρεσις] Sic Par. A. Vulgo εἴρηται. εἰ δ' ἄρα μὴ τοῖς αὐτοῖς] Sic Leid. Par. K. Ang. Laur. z. 6c. Flor. n. c. o. x. pro vulg. οἱ δ' ἄρα μὴ τ. α. χρώμενον. Fictus: Quodsi non iisdem, ut videtur, legibus homines utuntur.

ὡς δοκοῦμεν] δωκ Par. K.

B. νόμοις χρώνται, ἄλλοι τε ἄλλοις] Sic Par. A. Leid. pro vulg. νομ. χρ. αἰετὶ ἄλλοι γε. Receptam lectionem con-

pro corrupto καὶ αὐτό μοι κ. conf. Phaedon, p. 153. D. Lachet. p. 180. C. ibique annot.

P. 315. τοῦ ὄντος ἐστὶν ἐξεύρεσις] Nec hoc Platonis doctrinae convenit, qui rectam opinionem profecto aliud quid esse censuit quam qualemcunque τοῦ ὄντος inventionem; quin ne inventionem quidem esse voluit. Sinistre igitur accepit hic noster, quae de ea re in Menone Platonis disputantur.

ὡς δοκοῦμεν, οὐκ αἰετὶ δ.] Istud ὡς δοκοῦμεν cum subsequente sententia, οὐκ αἰετὶ δύναιται κ. τ. λ., connectendum est. Sed vide, quam illud importune hic inculcatum sit. Quidni enim ὡς δοκῶ dixit, quum alter in

eius sententiae communionem nondum pervenerit?

ἐνθὲνδε κατάδηλον γέν.] Nempe non hoc debuit homo ineptus demonstrare, alios homines atque populos aliis legibus uti, quod profecto nulla demonstratione egebat; illud potius ipsi ostendendum fuit, legem semper quidem ad τὸ ὄν spectare, sed hominum imbecillitate accidere, ut quod illi propositum sit, id non assequantur. At enim vero huius sententiae explicatio maiorem utique requirit subtilitatem, quam quae in illius cerebrum conveniat. Itaque neglectis iis, quorum expositionem flagitabat disputationis ratio, temere ad ea de-

νανται ἐξευρίσκειν ὃ βούλεται ὁ νόμος, τὸ ὄν. ἐπεὶ φέρε ἴδωμεν, ἴαν ἄρα ἡμῖν ἐνθὲνδε κατάδηλον γένηται, εἴτε τοῖς αὐτοῖς αἰετὶ νόμοις χρώμεθα ἢ ἄλλοτε ἄλλοις, καὶ εἰ ἅπαντες τοῖς αὐτοῖς ἢ ἄλλοις.

Cap. V. ET. Ἀλλὰ τοῦτό γε, ὦ Σώκρατες, οὐ χαλεπὸν γινῶναι, ὅτι οὔτε οἱ αὐτοὶ αἰετὶ τοῖς αὐτοῖς νόμοις χρώνται, ἄλλοι τε ἄλλοις· ἐπεὶ αὐτίκα ἡμῖν μὲν οὐ νόμος ἐστὶν ἄνθρωπος θύειν, ἀλλ' ἀνόσιον, Καρχηδόνοι δὲ θύουσι, ὡς ὅσιον ὄν καὶ νόμιμον αὐτοῖς, καὶ ταῦτα ἐνοι αὐτῶν καὶ τοὺς αὐτῶν υἱεῖς τῷ Κρόνῳ, ὡς ἴσως καὶ σὺ ἀκήκοας, καὶ

firmant etiam Ang. Laur. z. 6. Flor. n. c. o. x. qui scriptum habent νόμ. χρ. ἄλλοι γε. In Flor. o. Vat. est ἀλλ' ἄλλοι γε ἄλλοις. Bas. 2. Ven. 5. οὔτε ἄλλοι. Corruptioni ansam dedit τε post οὔτε illatum, de quo v. ad Apol. p. 26. C. Symp. p. 223. C. Gorg. 501. A. 522. B. al.

C. καὶ τοὺς αὐτῶν] Accesserunt haec ex Par. A. et Leid.

καὶ σὺ ἀκήκοας] V. καὶ ἀκήκοας. Par. A. σὺ ἀκήκοας, omisso καὶ. Veram lectionem debemus Par. K. Laur. z. Flor. n. c. o. x. quae confirmatur etiam aliorum scriptura codicum καὶ σὺ ἀκήκοας.

lapsus est, in quibus enarrandis doctrinae scilicet suae uberitatem et praestantiam iactare posset. Atque id sane tanto facilius est consequutus, quod νόμον, admissio rursus iudicii quodam errore, latiore sensu ita dixit, ut non tantum leges, sed etiam mores et instituta intelligi voluerit. Quod verbo notasse satis erit.

Καρχηδόνοι δὲ θύουσι —] De hac Carthaginiensium superstitione exposuit Münterus in libro: Die Religion der Karthager, Havniae, 1816. p. 23 sqq. conf. etiam Creuzer's Symbol. Vol. II. p. 270 sq. ed. 1820. Praeterea cum Boeckhio conferas Diad.

Sic. XX, 14. ibique Wesseling. Suid. s. v. Σαρχιδόνιος γένος. Plutarch. De superst. p. 171. C. Porphy. De Abstinent. II, 56. Intpp. ad Justin. XVIII, 7. ad Plin. H. N. XXX, 1. ad Augustin. De Civit. Dei VII, 19. Ceterum hinc hic sermo atque asper neminem non offendet. Nam moleste abundat αὐτοῖς post νόμιμον, et elumbis oratio in his est: καὶ ταῦτα ἐνοι — τῷ Κρόνῳ, et quidem nonnulli eorum suos ipsorum filios immolant Saturno. In postremis Boeckhii Praefat. ad Simon. Soer. p. XVI. Κρόνῳ abesse mitebat. Sed v. Buttmann. Berliner Abhandl. der Academ. a. 1814. p. 174.

μη ὅτι βάρβαροι ἄνθρωποι ἡμῶν ἄλλοις νόμοις χρῶνται, ἀλλὰ καὶ οἱ ἐν τῇ Λυκαίᾳ οὗτοι καὶ οἱ τοῦ Ἀθάμαντος ἔργοι οἷας θυσίας θύουσιν Ἕλληνας ὄντες! ὡς περ καὶ ἡμᾶς αὐτοὺς οἰσθᾶ πον καὶ αὐτὸς ἀκούων, οἷσις νόμοις ἐχρῶμεθα πρὸ τοῦ περὶ τοὺς ἀποθανόντας, ἱερεῖά τε προσφάττοντες πρὸ τῆς ἐκφορᾶς τοῦ νεκροῦ καὶ ἐγγυριστρίας μεταπεμπόμενοι· οἱ δ' αὖ ἐκείνων ἐτι πρότεροι αὐτοῦ καὶ ἔθαπτον ἐν τῇ οἰκίᾳ τοὺς ἀποθανόντας· ἡμεῖς δὲ τούτων οὐδὲν ποιοῦμεν. μυρία δ' ἂν τις ἔχοι τοιαῦτα εἰπεῖν· πολλὴ γὰρ εὐρυχωρία τῆς ἀποδείξεως, ὡς οὔτε ἡμεῖς ἡμῖν αὐτοῖς ἀεὶ κατὰ ταῦτα νομίζομεν οὔτε ἀλλήλοισι οἱ ἄνθρωποι.

ἐν τῇ Λυκαίᾳ] Sic liquido scriptum in Par. A. Laur. b. Ang. Λοκαία Leid. Pessime vulgo Λυκία.

D. ἐγγυριστρίας μεταπ.] Leid. Par. AK. Ang. Laur. z. b. Vat. Flor. a. c. x. ἐγγυριστρίας. Ven. E. Laur. c. ἐγγυριστρίας. ἱκετῶν ἐτι πρότεροι] ἐτι om. Steph. invitis codd.

Οὐδὲν τοι θανμαστόν] V. Οὐδὲν τι, quod ex Par. A. Leid. Flor. x. Ang. Laur. b. emendatum.

C. οἱ ἐν τῇ Λυκαίᾳ οὗτοι] noti illi in Arcadiae oppido, cui nomen Lycæa est, sacrorum antistites. Prave vulgo ἐν Λυκαίᾳ, quod ex vestigiis codd. emendavit Boeckhiius p. 55. consentiente Creuzero Symbolic. Vol. II. p. 139. Stephan. Byzant. Λυκαία, πόλις Ἀρκάδας. De victimis humanis ibi Iovi immolari solitis ipse Plato Reip. VIII. p. 565. D. nonnulla narravit, quem locum sapiens noster videtur ob oculos habuisse.

ἱερεῖά τε προσφάττοντες —] Non de victimis humanis non cogitandum esse, res ipsa docet. Intelliguntur potius sacra funebria alius generis ante ἐκφορᾶν facta. Ἐγγυριστρίας autem Schol. ad h. l. Schol. Arist. Vesp. v. 288. Suid. Etym. M. Phavorin. com-

muni consensione interpretantur mulieres libamina fundentes. Quibus adversatur Boeckhiius p. 57. intelligens mulieres ossilegium procurantes. Quorum utrum verum sit, vix decernas. Illud vero satis certo constat, Solonem in ritibus funebribus multa mutavisse, eoque scriptorem respicere existimari oportere. v. Cicero Legg. II. 23. Demosthen. in Macartat. p. 1071. qui legem Solonis memorat, Plutarch. Vit. Solon. c. 12. et 21.

D. αὐτοῦ καὶ ἔθαπτον ἐν τῇ οἰκίᾳ] Istud αὐτοῦ per audacem synesis refertur ad προτῆς ἐκφορᾶς, neque a quoquam intelligeretur, nisi per eprexege-sin subiectum esset ἐν τῇ οἰκίᾳ. Talem orationem vereor ut alibi apud Platonem usquam reperire licent. Memorabilis autem hic locus ideo est, quia quae hic

ΣΩ. Οὐδὲν τοι θανμαστόν ἐστίν, ὦ βέλτιστε, εἰ σὺ μὲν ὀρθῶς λέγεις, ἐμὲ δὲ τοῦτο λέληθεν. ἀλλ' ἔως ἂν σὺ τε κατὰ σαυτὸν λέγῃς ἃ σοι δοκεῖ μακρῶ λόγῳ καὶ πάλιν ἐγώ, οὐδὲν μὴ ποτε ζυμῶμεν, ὡς ἐγὼ οἶμαι· ἐὰν δὲ κοινὸν τεθῆ τὸ σῆμα, τάχ' ἂν ὁμολογήσαιμεν. εἰ μὲν οὖν βούλει, πυνθανόμενος τι παρ' ἐμοῦ κοινῇ μετ' ἐμοῦ σκοπεῖ· εἰ δ' αὖ βούλει, ἀποκρινόμενος.

ΕΤ. Ἄλλ' ἐθέλω, ὦ Σώκρατες, ἀποκρίνεσθαι ὅ τι ἂν βούλη.

Cap. VI. ΣΩ. Φέρε δὴ σὺ πότερα νομίζεις τὰ δίκαια ἄδικοι εἶναι καὶ τὰ ἄδικοι δίκαια, ἢ τὰ μὲν δίκαια δίκαια, τὰ δὲ ἄδικοι ἄδικοι;

E. ὡς ἐγὼ οἶμαι] V. Ἰσογ', invitis Par. A. Leid. Ang. Laur. b.

πυνθανόμενος τι παρ' ἐμοῦ] Sic Par. AK. Ang. Laur. b. Flor. a. x. Vett. edit. πυνθόμενος.

πότερα νομίζεις] Sic Par. A. Leid. pro vulg. πότερον.

τὰ δὲ ἄδικοι] Sic Par. A. Angel. Laur. b. Legebatur καὶ τὰ ἄδικοι.

de sepultura mortuorum olim in privatorum aedibus facta perscripta leguntur, ea nusquam alibi memoriae prodita sunt. Nec tamen dubitandum, quin scriptor antiquioribus huius narrationis fontibus usus sit. Mores et instituta Atheniensium, quae posterioribus viguerunt temporibus, eleganter descripsit Beckerus in Charicle, opere accuratae doctrinae plenissimo. Vol. II. p. 188 sqq.

εὐρυχωρία τῆς ἀποδείξεως] Dicitio haec non est Platonica.

Οὐδὲν τοι θανμαστόν — μετ' ἐμοῦ σκοπεῖ] Ea stolidam Platonici Socratis modestiam et urbanitatem, qui quum antea ipse alios alii legibus uti monuerit, nunc ultro talia se latuisse confitetur, scilicet protenus tantas orationis ambages deprecaturus, atque communem

rei disquisitionem postulaturus. At nimirum perversa imitatione haec expressa sunt ex Gorgia, Protagora, aliis libris Platonis, ubi Socrates urbanissime ridet sophistarum μακρολογῶν. v. Protagor. p. 334. E. sqq. Gorg. p. 449. C. Quorum locorum elegantiam homuncio iste non assequutus temere contaminavit, quae longe sunt venustissima. Praeterea compara Protagor. p. 347. E. 348. A. et pravae imitationis argumenta habebis certissima.

E. Φέρε δὴ σὺ πότερα νομ.] Male vulgo post δὴ commate interpungitur, de quo prudenter admonuit Boeckhiius p. 58. qui contendit Erast. p. 136. E. φέρε δὴ σὺ, ἢν δ' ἐγώ, εἰ τίχαις — πότερον ὀμολογεῖν βουλόμενος κ. τ. λ. Gorg. p. 451. D. Ἴθε δὴ καὶ σὺ ὦ Γοργία. Alcibiad. I. p. 108. C. Ἴθε καὶ σὺ.

ET. Ἐγὼ μὲν τὰ τε δίκαια δίκαια καὶ τὰ ἄδικοι
ἄδικοι.

316 ΣΩ. Οὐκοῦν καὶ παρὰ πᾶσιν οὕτως, ὡς ἐνθάδε,
νομίζεται;

ET. Ναί.

ΣΩ. Οὐκοῦν καὶ ἐν Πέρσαις;

ET. Καὶ ἐν Πέρσαις.

ΣΩ. Ἄλλ' αἰεὶ δήπου;

ET. Αἰεὶ.

ΣΩ. Πότερον δὲ τὰ πλεῖον ἔλκοντα βαρύτερα
νομίζεται ἐνθάδε, τὰ δὲ ἕλαττον κουνότερα, ἢ του-
ναντίον;

ET. Οὐκ, ἀλλὰ τὰ πλεῖον ἔλκοντα βαρύτερα,
τὰ δὲ ἕλαττον κουνότερα.

ΣΩ. Οὐκοῦν καὶ ἐν Καρχηδόνι καὶ ἐν Λυκαίᾳ;

ET. Ναί.

ΣΩ. Τὰ μὲν καλά, ὡς ἔοικε, πανταχοῦ νομίζε-

P. 316. Οὐκοῦν καὶ ἐν Πέρσαις] καὶ ἐν Πέρσαις semel
om. Par. A. K. Ven. Z. Ang. Laur. z. h. c. Vat. Florr. omnes, in
quibus scriptum: οὐκοῦν καὶ ἐν Πέρσαις καὶ αἰεὶ δήπου.

Πότερον δὲ τὰ πλεῖον —] δὲ additum ex Par. A. Prae-
terea pro vulg. πλεῖον hic et paullo post ex Par. A. K. Leid. πλεῖον
restitutum, quod Stephanus vidit ob seq. ἕλαττον restitui oportere.
καὶ ἐν Λυκαίᾳ] Sic Par. A. pro vulg. Λυκαίᾳ. Leid. hic
quoque Λυκαίᾳ, unde verum eruit Boeckhius.

P. 316. Πότερον δὲ τὰ
πλεῖον ἔλκοντα] Quam in-
eptus sit ac parum elegans huius
exempli delectus, vix indigebit
levi admonitione.

Οὐκοῦν, ὡς κατὰ πάντων
εἰπεῖν — ἀπασιν] Menon. p.
88. A. οὐκοῦν οὕτω δὲ κατὰ
πάντων εἰπεῖν ἴσιν. Politic. p.
275. E. Soph. p. 232. C. al.
Vult autem sibi hoc: Itaque,
ut universe dicam, omnia
id esse indicantur quod
sunt; non vero, quod non
sunt. Itaque qui ab eo
aberrat, quod vere est,
ab legitimo aberrat. Quod

quam perplexa expressum sit,
nemo est quin ipse videat. Re-
cte enim Boeckhius p. 16. in-
dicavit melius dictam fore sic:
οὐκοῦν, ὡς κατὰ πάντων εἰπεῖν,
ἐν ἑκάστον τοῦτο νομίζεται εἶναι
ὃ ἐστίν, οὐχ ὃ μὴ ἴσιν; Unde
deinceps colligi debuisse: ὅς ἐν
ἅρα τοῦτου ἀμαρτάνη, ὃ ἴσιν
τὸ νόμιμον, τοῦ νόμιμον ἀμαρ-
τάνη. At nimirum orta ista ora-
tionis conformatio est ex para-
logismo, qualem homo insipiens
tam saepe admisit, ut paene vi-
deatur ratione insanire voluisse.

C. ἄνω κάτω μεταξὺ
μενοι —] Recte dicitur ἄνω

ταὶ καλὰ καὶ τὰ αἰσχροῦ αἰσχροῦ, ἀλλ' οὐ τὰ αἰσχροῦ B
καλὰ οὐδὲ τὰ καλὰ αἰσχροῦ.

ET. Οὕτως.

ΣΩ. Οὐκοῦν, ὡς κατὰ πάντων εἰπεῖν, τὰ ὄντα
νομίζεται εἶναι, οὐ τὰ μὴ ὄντα, καὶ παρ' ἡμῶν καὶ
παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀπασιν.

ET. Ἐμοίγε δοκεῖ.

ΣΩ. Ὅς ἂν ἄρα τοῦ ὄντος ἀμαρτάνη, τοῦ νο-
μίμου ἀμαρτάνει.

Cap. VII. ET. Οὕτω μὲν, ὃ Σώκρατες, ὡς
σὺ λέγεις, ταῦτα φαίνεται νόμιμα καὶ ἡμῶν αἰεὶ καὶ
τοῖς ἄλλοις· ἐπειδὴν δ' ἐννοήσω, ὅτι οὐδὲν πανό-
μηθα ἄνω κάτω μετατιθέμενοι τοὺς νόμους, οὐ δύ-
ναμαι πεισθῆναι.

ΣΩ. Ἴσως γὰρ οὐκ ἐννοεῖς ταῦτα μεταπειτενό-
μενα ὅτι ταῦτά ἐστιν. ἀλλ' ὡδὲ μετ' ἐμοῦ αὐτὰ
ἄθρει. ἤδη ποτὲ ἐπέτιγχε ξηγγραμμάτι περὶ ὑγμίας
τῶν καμνόντων;

B. ὡς κατὰ πάντων εἰπεῖν] V. πάντα, quod ex Par. A.
et Leid. emendatum.

τοῦ ὄντος ἀμαρτάνη] Sic nunc ex Par. A. et Leid. scri-
